A habebat, pectus certo auri pondere: quod poſtea ſolvit quidem ſed Navarro, ut is ſponſor fidem ſuam liberaret; qui belli neceſſitatibus adductus, & magna novaque ſemper moliens, aurum ſibi retinuit. Tunc Comes Fluſſarum uxori, antea etiam non benè convenienti, nec pellicis potentiam ferenti: Abi, inquit, ad ſceleſtum fratrem: nec redeas: niſi re ab illo rabido monſtro perſoluta. Comitatus eſt Filius in aliquot dies matrem: & illa viri imperium, inclementiaque in ipſum verba renunciavit. Navarrus redeunti ad patrem adoleſcentulo: Accipe hunc, inquit, pulverem: quem ſi ignaro patri in potione miſcueris, continuò flagrabit deſiderio uxoris, ultròque revocabit. Credidit avunculo imperitus miſerque prope: amatorio mortiferum venenum accepit: id in olfactoriolo, quòd in adoleſcente hæ quaſi deliciæ ſuſpectæ eſſe non poterant, abditum gerebat, expectans occaſionem inſcio patri dandi. Deprehenſus à patre, nothum filium in honore deliciiſque habente, mori coactus eſt. *Æmil. lib.9. & Fulg. lib.9.c.12.*

Amicum eſſe Hoſtem.

B Chiorum claſſis, cùm inſequentes hoſtes fugeret, fortè per noctem apud Epheſium, tanquam in littus amicum ad terram deſcenſionem fecit. In ea regione contigit, ut Epheſiæ mulieres per agros ſparſæ, quæ ea nocte Cereris ſacris operabantur, cùm armatos ſentirent adventare, quanquam illi palàm facerent, ſe Chios atque amicos eſſe, tamen piratas ſuſpicatæ, magnis clamoribus tumultum in urbe concitarint. Unde egreſſus Epheſius populus, Chios eſſe eos, propter quos ortus erat tumultus, ignorans, amicos, atque eoſdem vicinos, pro hoſtibus interemit. *Fulgoſ. lib.9. c.9.*

Græci, Leontychida Spartano Duce, ad Mycalen Joniæ cum Perſis pugnaturi erant. Samii & Mileſii à Perſis deficientes, ad ferendum Græcis auxilium copias eduxere omnes: rati, Græcis, conſpecta ſociorum manu ad ferendum auxilium feſtinantium, audaciam ſimul ac ſpem animos erecturam. Quod primùm ſecus accidit ac putarant, ac properè pernicioſi cauſa fuit erroris. Nam Græcos ſuſpicio invaſit, Xerxem coacto ex Sardibus exercitu, ſuis eo agmine ſubſidio adventare, atque in ſe ferri. Itaque conſpecta adventantium acie, ingenti terrore corripiuntur, tumultuque per exercitum & aciem repentè C exorto, diviſi inter ſe ac trepidantes, alii ad naves confeſtim concedendum cenſuere, alii ſtipato agmine ſtrictiſque gladiis, imperterritè perſtandum, haud hoſti cedendum. Intereà Perſarum acies inſtructa repentè conſpecta. Cùm jam nullum Græcis conſilii ulteriùs capiendi ſpatium daretur, ad impetum Barbarorum excipiendum neceſſitas acuit inſtruxitque omnes. *Diod. lib.11.*

Romam obſidente Hannibale, cùm mille trecenti equites Numidas, qui ab Hannibale ad Romanos tranſierant, ab Aventino in Exquilias Conſules traducerent, & urbis longitudinem diſcurrentes, propter habitus ſimilitudinem, ſpeciem hoſtium, qui urbem inviſſe dicebantur, præberent: Romana plebs ad vim converſa, è tectis undique in Numidas ſaxa dejicere cœpit: donec Conſulum interventu cognovere, non hoſtes illos eſſe, ſed transfugas, quorum opera plurimùm Romana res juvabatur. *Livius.*

Ultimo Othonis prælio, adversùs Vitellium apud Bebriacum, quem locum recentiores Binam appellant, cum Julius Manſuetus, miles Hiſpanus, pro Othone adversùs Vitellianos dimicaret: in medio prælii ardore, cùm non cognoſceretur, D à Filio interemptus fuit, qui in Vitellianorum parte erat. Cùm poſtea veluti hoſtem eum ſpoliaret, non ſine immenſo dolore deprehendit, illum patrem ſuum eſſe, & tam ſævi facinoris errorem cauſam fuiſſe.

Cùm Alphonſi Aragonii copiæ, urbem Neapolim obſidentes, per cuniculum urbem ingreſſæ eſſent, eaſque Galli (qui Renatum Regem Neapolitanum defendebant) ſtrenuè rejicerent, contigit, Aragonium militem, dejecto equite Gallo, in equum inſilire. Galli arbitrati Aragonium exercitum effracta porta urbem ingreſſum, quòd neque cuniculo, neque ſcalis deduci in urbem equi ab Aragoniis poterant: abjecta reſiſtendi ſpe, in munita loca ſe receperunt. *Fulg. lib.9. c.9. & Egnat. lib.9. c.9.*

Hoſtem adventare, inſidiari.

Simias Strabo infinitas in India, præſertim in ſylva ad Emodios montes, inveniri ait: maximis canibus majores, præter faciem, quæ nigra eſt, albos eſſe totos, caudis, utpote duorum cubitorum, longiſſimis. Hoc animal, non minùs, quàm elephantes, ad humanum ingenium & captum accedere. Cùm E enim exercitum Alexandri vidiſſent, ipſos etiam in collibus quibuſdam ordines inſtruxiſſe. Milites exercitum hoſtilem putaſſe, & in eos contendiſſe. Re tandem per Taxilum comperta, ceſſaſſe.

Eo prælio, quo Fincomarcus Scotorum Rex contra Traherum Britanniæ legatum XVM. ſuorum amiſſis, XVIM. Romanorum cæſis, victor fuit, victoria penes Traherum futura erat, niſi ad agreſtium multitudinem in proximo conſpectam monte, armenta & greges, ut hoſtibus ſe ſuis cum fortunis eriperent, præ ſe agentium, Romani milites, hoſtium auxiliares opinati, formidaſſent: quorum timor & fuga inde ſequuta, Scotis, Pictis, Octavianiſque Britonibus, jam admodum pugna defeſſis, victoriam dedit. *H. Boeth. lib.6.*

Angli Jacobi I. Scotorum Regis filiam Margaritam, Ludovico Caroli VII. Gallorum Regis filio nupturam, CXL. eximiæ nobilitatis fœminis, & inter eas quinque Margaritæ ſororibus ſtipatam, obſervabant. At eodem tempore, quo ſolverant, apparuit haud longè ab Anglia Hiſpanorum claſſis. F Quam quum arbitrarentur Angli Scotorum eſſe, octoginta navibus eam invaſerunt. Verùm ubi in viros ſe incidere bellicoſos viderent, non in puellarum ſponſam deducentium chorum, perculſi, cladem ingentem acceperunt. Claſſis Scotia in Franciam ſecundo vento pervenit. *H. Boeth. lib.17.*

Ferdinand. Aragon. Neapolitanorum Rex, Canuſium verſus cum exercitu profectus, cùm exploratores præmiſſi, Nicolaum Picininum cum Joanne Andegavenſi, qui regnum affectabat, & Tarentino Principe ſe conjunxiſſe, & in armis inſtructos ſtare retuliſſent, exercitum retrò Barolum duxit, ob metum quem Duces pariter & Milites conceperant. Compertum tandem eſt, agmen fuiſſe cervorum compaſcentium, quorum in ea regione belli tempore maxima eſt copia. Hi ſub matutinum tempus paſtui dediti, ſparſim cum errarent, ubi exploratores ſenſere equites, in unum coacti, dubia jam luce ſpeciem præbuere hoſtilis agminis. *Pontan. lib.2. belli Neapol.*

Obſidebat Carolus Burgundus, cum Proceribus Francorum, Ludovicum XI. Regem Pariſiis. Nocte intempeſta vigiles caſtrorum audivere vocem cujuſdam, qui diceret, ſe à certis hominibus (eos nominabat, qui ſtudioſi Ducum eſſent) ex urbe miſſum, ac juſſum nunciare, ſtatuiſſe regem manè omnibus copiis tria in agmina diviſis caſtra oppugnare: iret properè vigil, Duces certiores faceret, ne incauti opprimerentur. G Excitati continuò exercitus, arma capere miles juſſus. Ante lucem ad utrumque omnia, & ad caſtra tutanda, & ad prælium parata, miſſique ſole orto exploratores, retulere ſe vidiſſe ingentem vim haſtatorum. Turbida lux erat, quòd eam exorta denſa fortè caligo premebat. Iterùm miſſi equites idem rurſùs confirmarunt. Expectabatur jamjam velut eruptionem facturus hoſtis: at is nullus erat. Vanam eam ſpeciem conceperant ſpeculatores, & metu falſa pro veris ſubjiciente, & nocturna voce, ludificationeque. Multo tandem die caligine diſcuſſa, liquidior lux errorem aperuit: nec inurbanè jactatum, carduos, quibus ſuburbanus ager veſtitur, haſtas timidis viſos eſſe. Id per ſe ridiculum, timiditatem militis, qui tam ferox venerat, coarguit. *Æmil. lib.10.*

Quum anno 1536. Carolus V. Cæſar, & Galliæ Rex Franciſcus, hortatu Pauli III. Pont. ad Nicæam urbem in colloquium venturi crederentur, ſtaretque in ancoris Cæſariana H claſſis in ipſo Villafranchæ portu: nonnulli ſub meridiem otioſè maria & colles à tergo, in altiſſima Alpium juga aſſurgentes, proſpectantes, denſam nubem fumi inſtar in altum elevatam conſpexere è proxima turrita villa editiore: quæ cum ex intervallis continenter augeretur, plerique ſignificationem eſſe adventantis inimicæ claſſis affirmabant; & Barbaruſſam Turcicæ claſſis Imp. ad opprimendos ſummos Chriſtiani nominis Principes, Pontificem & Cæſarem, adventare proclamabant. Ea vox incredibilem cunctis pavorem attulit, ſic ut Alfonſus Vaſtius pedeſtris exercitus Dux Cæſarem in ardua Apennini juga aſcendere hortaretur, & Andreas Auria claſſis præfectus tolli ancoras, & triremes obverti præciperet. Stetit impavidus Cæſar, nec de periculo quicquam temerè credidit. Compertum eſt tandem, à villico eam nubem denſi pulveris, quæ fumi ſpeciem referret, excitatam fuiſſe, quum ille in area fabarum acervum cribrando & ventilando, à ſiliquis ſecerneret. Multis ſiquidem ex intervallo ventilationibus, quæ triginta ſex triremium numerum repræſentabant, ab initio notatæ numeratæque fuerant: ut primam Barbaricæ claſſis ante euntis partem eſſe, vel nautici homines judicarent.

Ergo

A Ergo omnes ex ſumma trepidatione in riſum inconditoſque cachinnos ſoluti ſunt, & immanis ille metus jocoſis omnium ſermonibus celebratus fuit. *Jovius lib.17. hiſt.*

Urbem eſſe captam.

Luſitani Feſſenſem Regem à Tingitana urbe jam propè capta vix magno labore repulerant, an.1501. Intereà cùm quidam Maurus è campo in oppidum adequitaret, quod exiſtimabat jam à ſuis captum eſſe, lætus & ovans per portam ingreſſus eſt: injectiſque ſtatim illi vinculis, præproperæ lætitiæ pœnam tulit. *Oſor. lib.2. rerum Emman.*

IGNORANTIA, ERROR. REPSECTU EVENTUS. EX ERRORE.

Deditio facta.

B Eo prælio quo Maſtelzeres in Africa adversùs Gildonem fratrem, qui ab Honorio Cæſare rebellaverat, dimicavit: Gildonis exercitus, qui magno numero Maſtelzeris copias anteibat, errore tantùm, neque alia re impulſus, in fugam ſe vertit. Nam cùm Maſtelzeres ad primam fratris aciem appropinquaſſet, atque priuſquam manum conſereret, blandè milites alloqueretur: Gildonis vexillifero, quia atrociùs quàm cæteri reſpondebat, gladio brachium ademit. Et cùm ob eam rem, vexillum, vexillifero ampliùs illud non regente, cadens, inclinaretur, ultima acies, quæ Maſtelzerem alloquentem viderat & paulò poſt ſignum inclinatum, arbitrata primam aciem, quæ tota Romanis legionibus conſtabat, Maſtelzeri tanquam Honorii Duci inclinatis aquilis, pro more illorum temporum, deditionem feciſſe, à potiori exercitus parte deſertam ſe credens, concurſu facto, idem fecit, quod primam aciem feciſſe arbitrabatur. Gildo, cùm univerſum exercitum ſuum ad deditionem moveri conſpiceret, vitæ ſuæ metuens, in fugam ſe conjecit, ac fratri victoriam, nullo effuſo ſanguine, tradidit. *Fulg. lib.9. c.9.*

Urbs occupata.

C ☞ *Vide Tit. Stratagematum, Urbes occupare.*

Urbs non occupata.

Poſt victoriam Marathonam, claſſem LXX. navium Athenienſes Miltiadi dederunt, ut inſulas, quæ Barbaros adjuverant, bello perſequeretur. Quo imperio pleraſque ad officium redire coegit: nonnullas vi expugnavit. Parum inſulam, opibus elatam, diu obſedit. Cùm jam in eo eſſet, ut oppido potiretur procul in continenti lucus, qui ex inſula conſpiciebatur, neſcio quo caſu, nocturno tempore incenſus eſt. Cujus flamma ut oppidanis & oppugnatoribus eſt viſa: utriſque venit in opinionem, ſignum à claſſiariis regiis datum. Quo factum eſt, ut & Parii à deditione deterrerentur, & Miltiades timens, ne claſſis regia adventaret, incenſis operibus quæ ſtatuerat, cum totidem navibus, atque erat profectus, Athenas magna cum offenſione civium ſuorum rediret. Accuſatus ergo proditionis, quòd cùm Parum expugnare poſſet, à Rege corruptus, infectis rebus à pugna diſceſſiſſet. Eo tempore æger erat vulneribus, quæ in oppugnando oppido ceperat. Itaque quoniam ipſe pro ſe dicere non poſſet, verba fecit frater ejus Steſagoras. Cauſa cognita, capitis abſolutus, pecunia multatus eſt. Eaque D lis quinquaginta talentis æſtimata eſt: quantus in claſſem ſumptus factus erat. Hanc pecuniam quòd ſolvere non poterat, in vincula publica conjectus eſt, ibique diem obiit ſupremum. Cimon F. in vincula conjectus, Elpinices ſororis pietate multam ſolvit. *Probus in Miltiade.*

Caichoſcroes Iconii Sultanus, ab Alexio Angelo Græcorum Imperatore injuriam illatam ulturus, improviſa incurſione Phrygiæ Antiochiam cepiſſet, niſi caſus quidam fortuitus impetum ejus fregiſſet. Nam qua nocte ad urbem opprimendam properabat, quidam homo potens filiæ nuptias celebrabat. Erat igitur, ut in hujuſmodi feſtivitatibus ſolet, tumultus hominum convivantium: cymbala, tympana, ſaltatores, & mulierum cœtus, hymenæum cantantium, per totam noctem perſtrepebant. Ut autem ad urbem acceſſit Caichoſcroes, audita organorum harmonia, & hominum concentu: non rem ipſam conjectura aſſecutus, ſed militum teſſeras eſſe, qui ſuum adventum præcognoſſent, putans, ad Lampen diſceſſit. *Nicetas lib.2.*

Veronæ per inſidias capiendæ conſilium Veneti inierant, jamque milites delecti noctu ad urbem acceſſerant; cum ſcalas breviores eſſe cognoverunt, quàm muri altitudo requirebat. E Ad ejuſmodi ſubſidium comparandum, ut alteram alteri alligarent, atque ita longiores eas facerent, ſe dederunt. In eo dum ſunt, ſigna in oppido ei loco proxima caſus concinnere cœperunt. Illi veriti, adventum ipſorum militibus Germanis tribus millibus palàm factum eſſe, qui eam oppidi partem cuſtodiebant, relictis ſcalis, extra propugnacula celeriter ſe, qua venerant, receperunt: deinde ad exercitum, qui non longè aberat, ut ſe in oppidum inferret, re infecta, magno cum dolore omnium atque moleſtia, redierunt. *Bembus lib.10. hiſt. Veneta.*

Mullus Cropellus, cùm à Matthæo Vicecomite, qui eo tempore Mediolani rerum potiebatur, miſſus eſſet, ut Cremonam occuparet, per noctem urbi appropinquans, muros ſilentio perfodit, ingreſſuſque urbem Pontionus Cremonenſis exul ſolùm cum centum viris, quòd ſubſequi Mullum arbitrabatur palatium ſtatim occupavit. Cùm autem clamore ſublato, Gregorius, Summa gente ortus, civis Cremonenſis, armis arreptis, ad muros ſe contuliſſet, illic, qua patebant, eos ſtatim obſtruxit. Itaque cùm Mullus arbitraretur, Pontionum in urbe oppreſſum, præ formidine retrò ſe convertit. Gregorius autem F Summus, cùm accepiſſet, amiſſum eſſe palatium, arbitratus longè majorem hoſtium numerum urbem ingreſſum, quanquam ſeptus eſſet magna fortium virorum manu, qua & Pontionum, & omnes qui cum eo ſentiebant, facilè poſſet opprimere, Cremona profugit: cùm noctis tenebræ in eum errorem in eo loco homines induxiſſent, ut qui numero plures erant, pauciores timerent ac fugerent. *Fulg. lib.9. c.9.*

Urbs deſerta, amiſſa.

Jagubes Bajazetis I. Dux, Argos urbem duobus in locis ſimul adortus, eam capere ſumma ope nitebatur. Oppidanis autem, qui in ſiniſtra urbis parte reſiſtebant, panicus terror, ſpectro viſo, injicitur. Putabant enim ſe vidiſſe virum quendam indigenam, dicentem, urbem in dextra parte, qua oppugnabatur, captam eſſe. Relicto itaque loco iſto, citato agmine, contenderunt ad dextram urbis partem. Hinc hoſtes muros ſuperarunt, urbemque diripuerunt. *Chalcocondylas lib.2.*

Cædes admiſſa. G

Cleonice Byzantia virgo, noctu ad Pauſaniæ Lacedæmoniorum Ducis cubiculum, aliquantò ſeriùs quàm conſtitutum erat, veniens, manu lumen geſtans quod à cuſtodibus acceperat, cùm pedem offendiſſet, & non ſine ſtrepitu ad terram extincto lumine concidiſſet: Pauſanias experrectus è ſtrato proſiliit, inſidias veritus, cubiculique oſtium, ut in tenebris poterat, petens, Cleonicem gladio tranſverberavit. *Plut.*

In campis Philippicis C. Caſſius à ſuis deſertus, cum paucis coactus eſt in collem, unde deſpicere in campum poterat, ſe recipere. Cæterùm nihil ipſe contuebatur, nam aciem habebat obtuſam: tantùm caſtra ſua conſpexit, idque etiam vix, ab hoſtibus diripi. Comites ejus magnam equitum manum, quam mittebat M. Brutus victor à dextro cornu, contemplati ſunt advehentem. Hos Caſſius hoſtes eſſe, & conſectari exiſtimavit ſe. Unum tamen ex comitatu miſit ſpeculatum Titinium. Hunc ut advenientem conſpicati ſunt equites, & hominem amicum & fidum Caſſio videre: ſublato præ gaudio clamore, familiares ex equis deſilientes ſalutaverunt & complexi ſunt eum. Alii H undique cum nimio gaudio ovantes & ſtrepentes ſunt circumvecti, qua re magnum malum effecere. Nam Titinium arbitratus eſt Caſſius verè ab hoſtibus comprehenſum, atque hactenùs locutus: Nimirùm dum nimiùm vitæ ſumus cupidi, ſuſtinuimus amicum ab hoſtibus videre correptum: mox diſceſſit in tentorium quoddam deſertum, unum trahens ſecum libertum Pindarum, quem ex Craſſi clade ad hanc neceſſitatem ſecum habebat deſtinatum. Cui chlamyde obvoluto capite, cervicem apertam præbuit præcidendam: Caput enim ſeorſum à trunco repertum fuit. Pindarum verò poſt eam cædem nemo mortalium conſpexit. Unde ſuſpicati ſunt aliqui, eum injuſſu Caſſium occidiſſe. *Plut. in Bruto.* At *Valer. Max. lib.9. cap.9.* paulò aliter hiſtoriam narrat, inquiens: C. Caſſium error à ſemetipſo pœnas exigere coegit. Inter illum ignem pugnæ quatuor exercituum apud Philippos varium, ipſiſque ducibus ignotum eventum, miſſus ab eo Titinius centurio nocturno tempore, ut ſpecularetur, quonam in ſtatu res M. Bruti eſſent: dum crebros exceſſus viæ petit, quia tenebrarum obſcuritas, hoſteſne an commilitones occurrerent, dignoſcere non ſinebat, tardiùs ad Caſſium rediit.

A Quem is exceptum ab hoſtibus, omniaque in eorum poteſtatem recidiſſe exiſtimans, finire vitam properavit, cùm & caſtra hoſtium invicem capta, & Bruti copiæ magna ex parte incolumes eſſent. Titinii verò non obliteranda ſilentio virtus, qui oculis pauliſper hæſit, inopinato jacentis ducis ſpectaculo attonitus, deinde profuſus in lacrymas: Et ſi imprudenter (inquit) Imperator cauſa tibi mortis fui, tamen ne idipſum impunitum ſit, accipe me fati tui comitem; ſuperque exanime corpus ejus jugulo ſuo gladium capulo tenus demiſit: ac permixto utriuſque ſanguine, duplex victima jacuit, pietatis hæc, erroris illa. *Plut. & Val. Max.*

Tiberius Cæſar, dum per tormenta diſquiſitionem quorundam haberet, ut cauſam mortis Druſi filii intelligeret: & ei ſignificatum eſſet, adveniſſe Rhodium quendam ejus amicum, quem ipſe per literas vocarat: vel quia malè audiſſet, vel quia in alias curas eſſet abſtractus, ſtatim juſſit torqueri. Non multò poſt errore deprehenſo, facinoris celandi cauſa, ſuffocari hominem curavit. *Sveton.*

Ludovicus Oſnaburgenſis Epiſcopus ducebat in Otthonem de Monte, occupatorem Eccleſiæ Monaſterienſis, cui adhæ- B rebat Comes de Marca. In conflictu ſuperatur Comes de Marca, candido Epiſcopi habitu ſuperindutus, paludamenti loco, Quum capto & jacenti Epiſcopus incumberet, advolans quidam ex agmine Epiſcopi, quum crederet Epiſcopo incumbere Comitem, Epiſcopo quaſi Comiti vulnus inflixit lethale, ignorans dominum eſſe ſuum. Victor tertia poſt die ex vulnere mortuus eſt: quum præfuiſſet Eccleſiæ annis duodecim. *Crantz. lib.8. Metrop. c.52.*

Fuga facta.

Levinus Conſul Rom. propè Sirin amnem Pyrrho Epirotarum Regi occurrit. Oplacus Italus, alæ Ferentanæ præfectus, Regem ex inſigni criſta & hircinis cornibus agnitum, infeſta lancea petivit. Pyrrhus evitandi cauſa periculi, chlamyde & armis cum Megacle amico commutatis ruit in Romanos. Diu mars anceps fuit, vicibuſque ſeptem ferunt hinc inde & terga dediſſe, & fugientibus hoſtibus inſtitiſſe. Hìc cùm peterent multi Megaclem, qui Princeps eum percuſſit & proſtravit mortuum, Dexter nomine, caſſide detracta & chlamyde, vocife- C rabatur interfeciſſe ſe Pyrrhum. Romani tollunt clamorem, Græcos perplexitas & conſternatio occupat: quouſque cognita re Pyrrhus nudo capite obequitavit aciem, dextram porrigens præliantibus, & qui eſſet, voce ſignificans. Elephantis demùm Romanos prementibus, in turbatos equitatu immiſſo Theſſalico, convertit eos magna cæde in fugam. *Plut. in Pyrrho.*

Tempore Zoes Imperatricis pugna inter Romanos & Bulgaros commiſſa ad caſtellum Achelorum, pulſique & magna cæde proſtrati ſunt Bulgari. Ibi cùm Magnus Domeſticus Dux Romanus, plurimo ſudore madens, ex equo deſcendiſſet, ut ſe recrearet: equus abrupto capiſtro, ſeſſore vacuus per exercitum diſcurrit. Quem ut agnovere Milites, occubuiſſe Domeſticum rati, ab inſecutione hoſtium deſtiterunt. Quod ex alto cernens Simeon Bulgarorum Princeps (neque enim effusè & ordinibus diſſipatis fugam faciebat) ſuos Romanis immiſit. *Cedren. Cuſpin.* hoc Phocæ Scholarum Domeſtico ſub Conſtantino Porphyrogenito accidiſſe ſcribit.

Bulgari Germaniæ magnæ & Sarmatiæ, quæ eſt in Europa, populi ferociſſimi, ſuperato Iſtro, Bathia Rege, Pannoniam inferiorem uſque ad Iſtrum flumen, Mœſiaſque invaſerant: & D cùm Imperator eis occurriſſet, in munitiones ſeſe receperant. A Romanis dum obſiderentur, Conſtantinus Pogonatus Imper. ad thermas cum paucis abiit, propter dolorem pedum. Quidam equeſtris ordinis rumorem ſparſit, Imperatorem aufugiſſe. Itaque metus adeò occupavit Militum animos, ut & ipſi ſtatim fugam capeſſerent. Bulgari fugientes perſequuti, Imperatorem in eas anguſtias redegere, ut Myſiam eis conceſſerit habitandam, annuo inſuper tributo promiſſo. *P. Diaconus lib. 19. rerum Roman. Zonar. tom.3. Aventin. lib.3. Annal. Bojorum: Sigebert. ann.*680. à quo regnum Bulgarorum Chronici ordiuntur.

Fridericus I. Imp. an. 1176. ad Lignanum contra Mediolanenſes rebelles pugnans, ubi vexillo Aquilæ amiſſo ſuam inclinantem aciem ſenſit, nulli labori ad eam ſuſtinendam pepercit, in appellandis cohortandiſque militibus ducis, in conſerenda manu militis officia præſtans. Dum autem modò in hac, modò in illa parte inclamat, ſolitam in præliis ſuorum conſtantiam adverſus rebellantes turpiter Italos repetens, ab Italo, qui conferta in acie ſtans, verbi ferre contumeliam nequiit, equo ſtrenuè ſuffoſo dejicitur: qui caſus optatã Italis victoriam præbuit. E Nam Germani amiſſa aquila, Imperatorem, quia non extabat, cecidiſſe inſuper arbitrati, in fugam ſe pavidi conjecerunt: nec ſolum campum, in quo pugnabatur, ſed etiam caſtra, quibus ſe tueri magna ex parte poterant, opulentiſſima reliquerunt: atque ignoratione locorum ad oppida inimicorum delati, partim capti, partim occiſi ſunt; multi etiam Ticinum tranare amnem volentes, cæcis ejus gurgitibus hauſti. Fridericus ab uxore Beatrice Comi ut mortuus comploratus, poſt quatriduum præter ſpem omnium incolumis Papiam acceſſit. *Sigon. lib.14. regni Ital.*

Latini Principes, captis à Saladino Hieroſolymis, Clementis III. inſtinctu Tyrum pervenerant omnes, indeque paribus animis Ptolemaida moverant, urbemque oppugnabant. Superveniente autem cum magno exercitu Saladino, & à tergo & à fronte eodem tempore contra hoſtem dimicare neceſſe fuit. Pugnatum eſt diu acriter, & jam ad Chriſtianos victoria inclinabat: cùm equus è manibus gregarii cujuſdam elapſus, Chriſtianis fugæ anſam præbuit, arbitrantibus ſuos in fugam verſos. Verùm Gofredus Luſignanus ad cuſtodiam caſtrorum relictus, eruptione facta, & hoſtes repreſſit, & ſuis animum ad reſiſtendum dedit. Conſtat tamen ex Chriſtianis ad duo F milliа eo die cæſa. Periere item ex acceptis vulneribus Templariorum magiſter, & Andreas Bremenſis Comes. *Platina in Vrbano III. & Æmil. lib.6.*

Anno 1395. 29. Septemb. ad Nicopolim Sigiſmundo Hungariæ Regi florem Chriſtiani exercitus ducenti, Bajazetes Turcarum tyrannus occurrit. Ibi dum Galli glorioſum ducunt prælium ante alios inire, non expectatis cæteris agminibus, aciem Turcarum ingenti impetu adorti, retrocedere coegerunt. Turcæ ad arcus converſi, equos Gallorum telis transfodiebant. Galli deſiliunt ab equis, ut pedites cum pedeſtribus copiis certamen experiantur. Equi Gallorum cum ſellis vacuis in caſtra recurrentes, ſuſpicionem Ungaris injecere, quaſi equites omnes à Turcis eſſent occiſi. Sigiſmundus celeri equo advolans, ut hunc errorem ſuis demeret, & ad pugnam ex fuga retraheret, poſtquam nihil profecit, in cymbam, qua commeatus Danubio advectus erat, ſervili habitu inſiliens, vix effugit. *Dubrav. lib.25.*

Verbera illata.

G

Baptista Zenus Cardinalis ſub Paulo II. cubiculi præfectum ſæpè vocans, cùm ab eo naturæ neceſſitati parente non exaudiretur, furibundus retrò oſtium ſeſe abſcondit, ut ingredientem malè multaret. Intereà Cardinalis cujuſdam ſcribam, foribus apertis ingreſſum, Baptiſta capillis arreptum, pugnis egregiè contudit. *Garimbert. lib.6. de vitis Pontificum.*

Ulricus Comes Lintzgojæ in Buchorna, cùm ex Ungarica captivitate reverſus eſſet mendici forma, & ab uxore parentante ipſi (exiſtimabat enim jam defunctum) non ſolùm ſtipem accepiſſet, ſed manum etiam dantis arctiùs preſſiſſet, & invitam dominam oſculatus eſſet, ab aſtantibus indignitate rei motis percuſſus eſt: verùm ipſe: Parcite, inquit, ſatis verberum & miſeriarum in captivitate pertuli: Sum veſter Comes Ulricus, ſingulari miſericordia Dei ex gente immiti vobis reſtitutus. Agnitus itaque, ſumma gratulatione exceptus eſt. *H. Henninges in Geneal.*

Carcer. H

Alypius cùm Carthagine in foro obambularet cum tabulis & ſtylo, repetens quæ mox in ſchola redderet: interim alius ex ſcholaſticis ſecuri armatus, de cancellis argentariorum plumbum præcidere auſus, cùm ſtrepitu facto eos concurrere ſenſiſſet, relicta ſecuri aufugit. Accedit interim ad cancellos propiùs Alypius, & inventam ſecurim intuetur. Adſunt illicò Miniſtri, eum tanquam furem comprehendunt. Supervenit architectus publicus: is agnito Alypio, verum furem comprehendi juſſit. *Auguſtinus lib.6. Confeſſionum, c.9.*

Deſertio ſociorum.

Jo. Gomezius Abræus, Luſitanæ claſſis præfectus, cùm oram auſtralem inſulæ S. Laurentii legeret, quam Mataranam vocant, aquationem facere voluit. Ibi repentè multi lintribus invecti, omnia ſigna ſingularis humanitatis oſtendunt. Ea gentis facilitate Navarchus allectus, magiſtrum navis jubet in lintrem deſcendere, ut videat, an poſſet cum illis ſermonem conferre. At illi, ubi primùm magiſtrum acceperunt, faceſſunt. Hoc cùm ex improviſo accidiſſet, Navarchus ſcapham in mare demittere juſſit, ut lintres ſequeretur. Cùm terræ appropinquaret, cernit rurſus eoſdem lintres cum magiſtro

A giſtro ſcapham verſus ſumma ſecuritate navigare. Magiſter ad ſcapham pervenit, narravit ſe fuiſſe ad Regem perductum, qui eum fuerat ſingulari humanitate complexus, illumque prætereà torque argenteo, & armillis atque annulis argenteis donarat, ſtatimque remiſerat, ut nomine ſuo navarchum precaretur ne vellet congreſſum ſuum fugere. Ergo navarchus in terram deſcendit, humaniter exceptus, ſub veſperum ſcapham repetens, tempeſtate ſubitò orta, per quatriduum integrum, ad navem redire non potuit. Socii ejus vel occiſum vel fluctibus hauſtum ſuſpicati, vela fecerunt. Navarchus interim ſcapha per oras illas circumvectus, cùm navem minimè reperiſſet, ad Regem rediit: ubi præ deſiderio patriæ nunquam ampliùs videndæ cum octo comitibus mœrore contabuit. Reliqui ſcapham refecerunt, & multum ſui deſiderium Regi, ut apparebat, relinquentes, inde profecti, curſum in Mozambiquem tenuerunt. *Oſorius lib.5. rerum Em.*

Tumultus ortus.

Victo à Carthaginenſibus in Africa Agathocle, ex ejus militibus cæſa ſunt tria millia. Nocte inſequente, calamitas utroſque exercitus inopinata invaſit. Nam Carthaginenſes, dum B poſt partam victoriam noctu præſtantiſſimos captivos, diis pro gratiarum actione immolant, repentè exortus ventus ſacrum tabernaculum aræ proximum accendit, inde prætorium tentorium, atque deinceps reliquorum ducum, utpotè ex arundine & ſtramine facta. Multi anguſtiis exitus intercluſi, vivi conflagrarunt, ac protinùs pœnas ſuæ in captos crudelitatis dederunt. Eos autem, qui ex caſtris cum tumultu & clamore proruperant, alterum longè majus periculum ſubſecutum eſt. Nam Afri qui Agathocli militabant, deficientes à Græcis, de nocte ad Barbaros numero ad quinque millia tranſibant. Hos ſimulatque ſpeculatores recta ad Carthaginenſium caſtra tendere viderunt, rati, totum Agathoclis agmen eſſe jam ad pugnam inſtructum, properè militibus adventantem aciem nunciatum eunt. Ea fama ad omnium aures perlata, totis caſtris tumultus exſtitit, & hoſtium adventus expectari: ac ſingulis in fuga ſalutem ponentibus, ſine ordine & citra ducum imperata fugientes, alii in alios irruere: quorum quidam propter tenebras, alii perturbatione quadam ſuos ut hoſtes repellere, fit cædes multa. Tandem plùs quinque millibus occiſis, reliqua multitudo Carthaginem pervenit. Oppidani portas ape- C riunt, & cum tumultu & trepidatione milites in urbem admittunt, metuentes, ne hoſtes cum poſtremis irrumperent. Sed orto die, ex veritate cognita, vix tandem ab expectatione periculorum liberari potuerunt. Eodem tempore, fraude & vana expectatione deceptus Agathoclis exercitus, in ſimile malum incidit. Nam fugitivi Afri, dum poſt deflagrationem caſtrorum & exortum tumultum ulteriùs procedere verentur, retrò unde venerant, revertuntur. Quos ubi Græcorum quidam advenire ſenſerunt, ſuſpicati eſſe Carthaginenſium copias, Agathocli hoſtium exercitum non procul abeſſe renunciant. Imperatore arma capere jubente, milites extra caſtra magno cum ſtrepitu feruntur. Cùm autem flamma in auras ſublata per caſtra conſpiceretur, & Carthaginenſium clamor exaudiretur, reverà Barbaros contra ſe cum omnibus copiis venire ſuſpicati ſunt; ac cum ſubita animi perturbatio locum ad deliberandum nullum daret, pavor caſtra invaſit, omneſque ſeſe in pedes conjicere cœperunt. Deinde Pœnis ſe reliquis immiſcentibus, nocte ignorantiam tegente, obvii obvios ut hoſtes invaſerunt: & cùm per totam noctem paſſim diſperſi vagarentur, lymphaticuſque tumultus omnia occuparet, amplius 4000. perierunt, D & vix veritate cognita, reliqui in caſtra revertuntur. *Diod. lib.20.*

Arcana vulgata.

Technon Arati Sicyonii ſervus per errorem detexit conjurationem Dionyſio, Ergini & Diocli fratri, contra tyrannum Sicyoniorum, quam uni Diocli (qui de facie Dionyſius valdè ſimilis erat) revelare debuerat. *Plut. in Arato, & Polyænus lib.6.*

* IGNORANTIAM AFFECTARE.

Exempla Et Apophthegmata.

Ignorantiam, quæ *Boetio teſte*, miſeros tramite devio abducit, plures in ſeipſis laudaſſe accepimus; neque expendiſſe illud Senecæ in Octavia:

Inertis eſt, neſcire quid liceat ſibi.

Ita Ludovicus Franciæ Rex, non ille quem pietas & doctrina commendavit, Comitem Avionem in cœnobio S. Martini de Turri, inter Canonicos in choro Pſalmos decantantem, *L. B. Theat. Vitæ Human. Tom. IV.* ſchommate & riſu excepit, præter dignitatem illius aſſerens, ea E ſcire & agere, quæ Monachorum & Sacerdotum erant. Cui ille non minùs liberè, quàm eleganter ſubintulit: Rex indoctus, eſt aſinus coronatus. *Corozettus.*

Venerat ad Presbyterum illiteratum & ignarum quiſpiam homo (ut apparet) facetus, qui dum multa ex eo inquireret de Scripturarum explicatione, alter ſe neſcire faſſus, hunc locum in medium attulit; Littera occidit: quod ſcitè excipiens ille: Benè caviſti, ait, mi Domine, ne te littera occideret, quia nullam calles. De quo ita luſit *Tho. Morus in Epigram.*

Magne pater, clamas, Occidit littera: in ore
Hoc unum, Occidit littera, ſemper habes.
Caviſti benè tu ne te ulla occidere poſſet
Littera: nam nulla eſt littera nota tibi.

Laur. Beyerlinck in Apophth. Chriſtian.

☞ *Vide Apophtegm. de* Doctrina in pretio habita. *Item* Inſcitia.

Talis ignorantiæ arguendi ſunt Judæi, de quibus *Iſai. c.30.* Dicunt videntibus, nolite videre, & adſpicientibus, nolite adſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia.

Ita Achab interroganti Joſaphat, utrum eſſet aliquis Prophe- F ta Domini qui veritate prædiceret? Reſpondit: Remanſit vir unus, per quem poſſumus interrogare Dominum: ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum. *2. Paralip. cap. 16.*

Prædixit Apoſtolus, noviſſima tempora ea fore, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, id eſt, qui dicant mollia & grata. *Epiſt. ad Timoth.3.*

☞ *Require nonnulla ex Tit. de Impietate. Vbi Impii erga litteras ſacras §. Negligendo, contemnendo.*

* IGNORANTIA RERUM DIVINARUM,

Malorum Multorum Causa.

Ignorantiam Dei rerumque cœleſtium, omnis mali radicem & fomitem declaravit Dominus ac Salvator noſter, cum nullam aliam cauſam allegat perſecutionis inferendæ Apoſtolis, quàm quia neſciunt, inquit, eum qui me miſit, *Ioan. c.15.* & rurſus: Hæc omnia facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. *Ioan. c.16.*

In eum ſenſum dixiſſe videtur Salomon *Prov. c.19.* Ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum. G

Iſajas Propheta non aliam cauſam aſſignat, cur populus fuerit in captivitatem ductus, quàm quia non habuit ſcientiam *c.5.* & per Oſeam dicit Deus: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.

Iſraelitæ qui Samariam incolebant, à Leonibus fuerunt devorati, quia ignorabant legitima Dei terræ. *4. Reg. c.17.*

Gravis eſt Apoſtoli comminatio, Ignorans ignorabitur: nempè à Deo, ut à quo ſibi dicendum æſtimet, Neſcio vos. *1. Corinth.14.*

* IGNORANTIÆ INVINCIBILIS

Exempla.

Abimelech Rex Geraræ tulit Saram jam nonagenariam uxorem Abrahæ, ut eam in conjugem acciperet; dixerat enim Abraham, quoniam ſoror ipſius eſſet. Verùm Deus per ſomnium ei apparuit, mortemque eſt comminatus: qui cum necdum tetigiſſet eam, ait: Domine, tune gentem ignorantem & juſtam interficies? nonne ipſe dixit mihi, Soror mea eſt, & ipſa ait, Frater meus eſt? *Geneſ.21.* Quamvis Abimelech gravi morbo, ejuſque ancillæ ſterilitate fuerint percuſſæ, quòd Rex eam invitam, & pro imperio tuliſſet. H

Ita Jacob ignorabat, quòd cum Lia ſorore uxore Rachelis ſibi ſuppoſita concubuiſſet, niſi cum mane eam deprehendiſſet. *Geneſ.29.* Virgines enim dum nubebant, in tenebris viri thalamum adibant: quod apud Spartanos lege lata ſanxit Lycurgus. *Plut. teſte.*

Filiæ quoque Loth invincibili ignorantia excuſantur ab inceſtu commiſſo cum patre ſuo Loth, ſecundùm Ambroſium, Joſephum, Chryſoſtomum, Theodoretum, ut quæ putabant ſe ſolas in mundo ſuperſtites incendio Sodomitico, adeoque ad ſervandum genus humanum licitam ſibi cum patre commiſtionem. Contrarium tamen docet Auguſtinus, & communiter Theologi. *Geneſ. c.29.*

Paulus Apoſtolus dicit ſe fuiſſe blaſphemum primùm, & perſecutorem, & contumelioſum; ſed miſericordiam conſetum à Deo, quia per ignorantiam feciſſet in incredulitate; neſciebat enim ſe perſequi Meſſiam, ac zelo legis agebatur, ac pro lege Dei ſe pugnare exiſtimabat. *1. Ad Tim. c.1.*

* IGNORANTIA.

In Aulis Principum, Malorum Cauſa.

Aularum peſtes Ignorantiam & Suſpicionem, notant Politicarum rerum ſcriptores, Idque expreſſum volunt Apellis ſchemate, quo pinxit Regem Midæ ſimilem habentem aures aſininas; qui adjunxit binos conſiliarios, qui à Luciano appellantur Ignorantia, & Suſpicio.

Ita 1, *Paralip.* 20, Rex Syriæ petit à Rege Iſrael opem modicam: & rex Iſrael ſuſpicatur id poſtulari, ut cauſam novi belli captet; unus ignorantia, alter ſuſpicione labitur.

Talis Midas eſt Hanon Rex Ammonitarum, qui violat legatos Davidis, ſibique ac toti regno perniciem, his conſiliariis adhibitis, conciliat. *ſup.*

Quæ alia cauſa eſt everſionis florentiſſimi regni Angliæ, quam affectata Juris divini ignorantia, quæ in Henrico VIII, fuit, quando libidinis impuro incendio æſtuans, deperibat filiam ſuam Annam, quam adulterino concubitu ex uxore Thomæ Boleni ſuſcitaverat, & Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, quam priùs magno zelo aſſeruerat, contemnens, primatum Eccleſiæ ſibi vendicavit; quem Thomas Morus, poſt exactum ſtudium annorum ſeptem, ſæculari Principi nulla ratione competere poſſe, validis argumentis fruſtra demonſtrabat. *Hiſtoria Angliæ, Flores Calviniſtici Staphyli.*

Illegitimi,

☞ Vide Spurii.

---

* Illiberalitas.

Quid, *ejuſque Proprietates, & Vitia.*

ILliberalitas, ἀνελευθερία Græcè, Nabalab Hebraicè, eſt vitium quo quis turpe lucrum ſectatur. Illiberales, expendunt quidem, minutatim autem & malè, atque plus jacturæ facientes, nullo ſcilicet habito temporis delectu, *Ariſt. de virtutib.*

Eſt autem illiberalitatis proprium pluris facere pecunias, nec id probrum putare, quod quæſtuoſum ſit: vita eſt item mercenaria, ſervilis, ſordida, è munificentia & liberalitate aliena. Conſequuntur autem illiberalitatem ſordes, ægritudo animi, puſillanimitas, pudor agreſtis, indecentia, ignobilitas, hominum odium. *Idem ibid.*

Illiberalitas eſt nimius quidam, præ ſtudio parcendi ſumptibus, gloriæ contemptus. Illiberalis autem is eſt, qui ſi è tragico certamine victoriam reportarit, tæniam Libero patri ligneam conſecret, in qua nomen ipſius ſit inſcriptum: qui etiam cum neceſſario Reip. tempore pecuniæ à civibus extra ordinem conferuntur, in concione ſurgens ſilentio utatur, aut è medio ſe proripiat. Filiam ſuam nuptui collocans, mactatæ victimæ carnes omnes, iis exceptis quæ ad ſacrificulos pertinent, vendit: & ad miniſtrandum in nuptiis mercede conductos adhibet, qui ſuo quiſque cibo veſcantur. Triremi præfectus quam inſtruxit, gubernatoris gulis tabulata ſternet, ſuis interea uti parcens. E foro, poſtquàm obſonatus eſt, rediens, carnes ipſe geſtat, atque olera etiam in ſinu. Veſtem quando à ſordibus purgandam locavit, domi tantiſper ſe continet. Quòd ſi quis amicorum ejus, fortuna uſus adverſa, eranium à ſuis familiaribus exigat, idque ipſe ſciat, deflectens ex itinere domum tendit. Uxori ancillas emit ille quidem nullas; ſed quæ in publicum prodeuntem comitentur, conducit. Mane, ubi ſurrexit, domum ipſe mundare, lectoſque purgare ſolet, & ſedens obſoletum ac tritum quod geſtat pallium invertere. *Theophraſt. in Characteribus Ethicis.*

EXEMPLA ET APOPHTHEGMATA.

Pythes, vir locupletiſſimus, ſed illiberalis admodùm, quum Xerxis tempore ſubditos ſuos in aurifodinis miſerè necaret, à propoſito ſordido & illiberali ingenioſè revocatus eſt, & meliori menti reſtitutus, uxoris ſuæ opera, quæ quum ei in prandio nihil præter aurum affabrè factum, quod cibos repræſentaret, apponi curaviſſet; marito idoneas dapes ad victum poſcenti reſpondit, Tu meſſem & vindemiam tuis abſtuliſti, ut auri talenta cumulares: aurum comede, vel in poſterum provide tuis. Quod ille poſtea præſtitit. *Plut. de vir. mulier.*

Ariſtippus Platoni luxum exprobranti reſpondit ita, ut Platonem illiberalem & ſordidè parcum oſtenderet. Quum enim Plato obolum diceret homini temperanti ſufficere ad victum quotidianum comparandum, Tibi (inquit) obolus ſatis eſt, & mihi tanti ſunt quinquaginta drachmæ. *Laert.*

Antigonus Cynico talentum petenti dare recuſavit, doni pretium vili & pauperi non convenire; regi, ſubjecit Antigonus, obolum numerare. Utrumque dictum illiberaliter: & Cynicus obolum accipere, & rex talentum largiri debuit. *Plut. in apoph.*

Maximilianus I. Imperator, cum vitrea vaſa exquiſito artificio conflata & deaurata, ſed illiberalis pretii, & Cæſare non ſatis digna, dono accepiſſet, ut illiberalitatem iſtam jocosè carperet, vaſa omnia ſupra menſam quandam repoſita, uno momento, menſa dextrè everſa, confringi curavit. *Conradus Bruno, lib.5.c.21. de Legationibus.*

Auguſti Cæſaris illiberalitatem poeta Græcus feſtivè ultus eſt. Quum ſæpè verſus Græcos elegantes Auguſto fruſtra obtuliſſet, tandem etiam verſus à Cæſare conſcriptos accepiſſet, accedens ad ejus lecticam, dimiſſa in pauperem crumenam manu, denarios pauculos protulit, Cæſarique oblatis, ſubjecit: Non juxta fortunam tuam Auguſte: Si plus haberem, plus darem. Auguſtus illiberalitatis veterno excuſſo, poetam liberali & verè Cæſareo dono locupletavit. *Svetonius in Auguſto.*

☞ *Vide, Avaritia.*

Imaginatio,

PHANTASIA.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

IMaginatio definitur, motus factus à ſenſu actu operante, id eſt, interventu ſpecierum, quas ſenſus, dum res percipit, ad eam tranſmittit. Alio nomine Philoſophi dicunt Phantaſiam, quæ à viſu nomen habet, qui inter omnes ſenſus externos principem locum tenet, quatenùs id à lumine accipit, ſine quo viſio fieri nequit. Lumen enim Græcè φάος dicitur. Inde Phantaſia ἀπὸ τοῦ φάος, καὶ τῆς στάσεως, id eſt, à lumine, & à ſtatu: permanet namque ceſſante functione externorum ſenſuum Phantaſia.

* Quibus Conveniat.

Conſtat igitur, Imaginationem dari tantùm in illis, quæ ſenſu ſunt prædita, neque abſque ſenſu effici poſſe; ut cujus operatio internam apprehenſionem antecedit, & debet proportione quadam ipſi potentiæ, quæ ultra menſuram ſuam non agit, reſpondere.

Porrò imaginatio accipitur aliquando latè, ut ſenſum communem etiam comprehendat; & ſic in omnibus brutis reperitur.

Nonnunquam uſurpatur ſtrictiùs, ut includit actum memorandi; & ita competit perfectioribus brutis, quæ ſuo modo diſciplinæ capacia ſunt, & docilia vocantur, actuſque memorandi exercent. Aliis negat Ariſtoteles, aliique Philoſophi imaginationem; quamvis alii id intelligant de perfecta. Imperfectam namque quæ poſt ſenſus apprehenſionem illicò evaneſcit, & rerum typos non ſervat, ac memoriæ conjungitur, omnibus communem faciunt. Videatur *S. Thomas lib. 2. de Anima.*

Quin dicit Ariſtoteles, quædam animalia vivere ſola imaginatione, non quòd ſenſu aut facultate vegetandi prædita non ſint, ſed quòd unumquodque eo vivere dicitur, quod in ipſo eſt præſtantiſſimum. *Ita Ariſtoteles lib.2.c.3. de anima.*

Quomodo autem, & per quæ operetur Phantaſia, vide apud illos qui hoc argumentum tractarunt; qui volunt eam corpori mutationem inducere poſſe per potentiam loco motivam, appetitivam, per motum humorum & ſpirituum, paſſionum quoque motiva, & id genus alia nonnulla.

VIGILANTIUM IMAGINATIO,

Inſolita.

Recitat Ariſtoteles, fuiſſe hominem, qui ſemper ſuam imaginem ante ſe velut in ſpeculo videret. Id ſi ille non finxit, oſtentationis cauſa & levitate Græca, certè ob ſolam viſus imbecillitatem accidere non potuit; ſed accedente ad hanc etiam ſumma anterioris partis cerebri caliditate, ſpirituſque viſivi tenuitate, afflati quoque vaporis craſſitie, ut ſic tanquam è ſpeculo reflecteretur. *Cardanus de Rer. variet. lib. 8. cap.43.*

Hieron. Cardanus Mediolanenſis etiamnum puer, ab anno quarto ad ſeptimum uſque, ab hora diei ſecunda ad quartam ſemper, aut ſi modò tardiùs aut ſurgeret, aut expergiſceretur imagines videbat ab imo lecti quaſi è parvis annulis æreiſque conſtantes, arborum, belluarum, hominum, oppidorum, inſtructarum acierum, bellicorum ac muſicorum inſtrumentorum, aliorumque hujuſce generis aſcendentes, viciſſimque deſcendentes, aliis atque aliis ſuccedentibus. Cumque his maximè puerulus exiſtens oblectaretur, ob idque intentiùs inſpiceret. Clara Mater & Margarita amita diligenter aliquando interrogarunt, num aliquid videret? At is quamquam parvulus, non ignorabat hoc eſſe oſtentum quoddam, ob idque conſtanter negabat: timens ne, ſi revelaſſet à ſpectro deſtitueretur, aut mali quicquam pateretur, ob arcanum reſeratum. Expleto ſeptennio, domoque mutata, talia illi apparere omninò deſierunt. *Cardanus de Subtil. lib. de Mirabil.* At verò *Bodinus in Dæmonomania* hanc magicam ecſtaſin fuiſſe ſuſpicatur.

Turbata, Læſa.

☞ *Ex Tit. Inſanorum huc non pauca. Sed & Oſtentorum quædam exempla imaginaria huc pertinent.*

Quoſdam invenias, inquit *Galenus 3. de Affect. loc.* qui ſe putent figulinum vas, quamobrem contactum hominum, & omninò propinquitatem expaveſcunt, ne quo modo comminuantur decurtenturve. Alii Gallum conſpicati, priùs quàm edat cantum, alas excutere, ipſi quoque conſimiliter brachia motitant, mox & canunt. Meminit talis cujuſdam Raſis in Continente. Sunt quos perpetuò timor percellat, ne mundum fulciens Athlas ſervanſque laceſſat, iſque feratur in præceps, & omnes una pereant ruina: proinde fugam ſemper meditantur, ut ſi (fieri poſſit) ſeſe extra mundana clauſtra proripiant. *Cælius lib.17.c.2. A. L.*

Alexander *ab Alexandro Jureconſ. Neapolitanus,* de ſeipſo narrat, *lib.2.c.9. Genial. dier.* quòd Romæ ægra valetudine oppreſſus, in lectulo ſpeciem mulieris eleganti forma ſibi planè vigilanti obverſatam viderit: quam cum inſpiceret diu cogitabundus & tacitus, reputans, nunquid falſa imagine captus, aliter, atque res eſſet, aſpiceret, & verè ſuos ſenſus vigere, & figuram illam nuſquam à ſe dilabi videret, quænam illa eſſet, interrogavit. Tum illa ſubridens, & ea quæ acceperat verba reſpondens, quaſi eum planè derideret, cum diu ipſum fuiſſet intuita, diſceſſit.

DORMIENTIUM SOMNIA.

Vera.

De his ſub loco Divinationis.

Vana.

Apud Lucianum Mycillus per ſomnium opulentiſſimus, experrectus, cerdo erat Iro pauperior.

Nulla.

Atlantes Africæ populi, nulla inſomnia vident. *Herod. lib.1.*

Cleon Daultenſis, ætate Plutarchi, prædicabat, multis, quos vixerat, annis, nullam ſibi in ſomniis unquam ſpeciem obverſatam. Ex antiquioribus hoc idem de Thraſymede Heræenſi commemoratur. In cauſa fuit, corporis temperatura; ſicut viceverſa melancholiorum habet multa inſomnia, multaſque videt ſpecies temperamentum: quamvis ſomnia appareat eis veriora offerri. *Plut. de Def. orac.*

Nero Cæſar nunquam ſomniare ſolitus, niſi poſt interfectam matrem. *Sveton.*

Turbata.

☞ Ovidius lib.11. Metam. *ſomni miniſtros facit tres. Ex his Morphæus homines imitatur, Icetus ſive Phabetor bruta, Phantaſus ea quæ anima carent, exprimit. Exempla horum ex Antemidoro pete: item ex loco Præſagiorum per inſomnia.*

In Monaſterio Thebaidis, in quo Euphraſia virgo effulſit, moris fuit, ut quoties aliqua Sororum minùs pudica ſomnia habuiſſet, Abbatiſſæ aperiret; quo opportuno deteſtationis remedio, eorumdem cauſa præcideretur. *Marul. lib.1.c.10. & Sab. lib.2.c.3.*

Cæsar Caligula incitabatur in ſomnio maximè: neque enim plùs quàm tribus nocturnis horis quieſcebat: ac ne his quidem placida quiete, ſed pavida miris rerum imaginibus: ut qui inter cæteras, pelagi quandam ſpeciem colloquentem ſecum videre viſus ſit. Ideòque magna parte noctis, vigiliæ cubandique tædio, nunc thoro reſidens, nunc per longiſſimas porticus vagus, invocare identidem atque expectare lucem conſueverat. *Svetonius.*

Terrebatur Nero evidentibus portentis ſomniorum, & auſpiciorum, & omnium, tum veteribus, tum novis: nunquam antea ſomniare ſolitus. Occiſa demum matre, vidit per quietem novum ſibi regenti exortum gubernaculum, trahique ſe ab Octavia uxore in arctiſſimas tenebras: & modò pennatarum formicarum multitudine oppleri: modò à ſimulacris gentium ad Pompeji Theatrum dedicatarum circuiri, arcerique progreſſu: Aſturconem, quo maximè lætabatur, poſteriore corporis parte in ſimiæ ſpeciem transfiguratum, ac tantùm capite integro hinnitus edere canoros. *Svet. in Nerone.*

Otho Imp. dicitur ea nocte, quæ cædem Galbæ ſubſecuta eſt, per quietem pavefactus gemitus maximos edidiſſe: repertuſque à concurſantibus humi ante lectum jacens, per omnia piaculorum genera manes Galbæ, à quo deturbari expellique ſe viderat, propitiare tentaſſe. *Svetonius.*

In Svecia Septentrionali Gulo animal voraciſſimum capitur. Pellis ejus pretioſiſſ. dormientibus: ſub harum pellium tegumentis evenire ſolent ſomnia ejus animalis naturæ conformia, quoad ingluviem & inſidias beſtiarum. *Olaus lib.18. cap.8.*

Impura.

D. Auguſtinus *de ſomniorum ludibriis lib.10. Confeſſ. c.30.* inter alia hæc queritur: Sed adhuc vivunt in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi conſuetudo mea fixit; & occurſant mihi vigilanti quidem carentes viribus, in ſomniis autem non ſolùm uſque ad delectationem, ſed etiam uſque ad conſenſionem factumque ſimillimum. Et tantùm valet imaginis illuſio in anima mea & in carne mea, ut dormienti falſa viſa perſuadeant, quòd vigilanti vera non poſſunt. Subnectit: Nunquid non potens eſt manus tua, Deus omnipotens, ſanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratia tua laſcivos motus etiam mei ſoporis extinguere? Augebis, Domine, magis magiſque in me munera tua, ut anima mea ſequatur me ad te concupiſcentiæ viſco expedita, ut non ſit rebellis ſibi, atq; ut in ſomnis etiam non ſolùm non perpetret iſtas corruptelarum turpitudines per imagines animales uſque ad carnis fluxum, ſed ne conſentiat quidem.

Moribus conſentanea.

Theseus Herculis conſobrinus, virtutis ejus uſque adeò æmulus, ut præclara illius facta etiam in ſomnis ſibi occurrerent. *Plut. in Theſeo.*

Themistocli Miltiadis Perſica trophæa non modò ſomnum adimebant, ſed & ſomnia condiebant. *Plut.*

M. Marcellus Coſ. cum Annibale dimicandi eo ferebatur ſtudio, ut ſæpè etiam in ſomnis ſingulari certamine cum eo ſibi videretur congredi. *Plut. in ejus vita.*

* IMAGINATIONIS

Vis Mira, Et Efficax.

Scripſit de hoc argumento eruditum Tractatum V.C. *Thoma Fienus*, Bavariæ & Brabantiæ Ducum Medicus, & in Lovanienſi Academia ejuſdem facultatis Profeſſor primarius. Ex quo velut ex ungne leonem, præſtantiſſimi viri ingenium, eruditionem, & perſpicacitatem in re alioquin difficillima, nullo negotio quis eruat. Nos pleraque huic propoſito ſervientia inde etiam deſumpſimus, additis nonnullis aliis.

Siquidem imaginationem eſſe per accidens cauſam mirabilium effectuum, multarumque perturbationum & alterationum, tam in proprio, quàm alieno corpore, movendo ſcilicet & dirigendo animæ potentias, movendi & alterandi vim habentes, utputa potentiam animalem, loco motivam, item appetitivam: denique movendo humores, & ſpiritus, ac dirigendo potentiam conformatricem, mediantibus animi paſſionibus, experientia eſt vulgatiſſimum.

AC PRIMUM CIRCA MORBOS, ET MORTEM.

Contingit ſæpè, eos qui ſibi perſuadent ſe aliquo morbo laborare, tandem in illum incidere. Quotidiana experientia docet, nimis intensè peſtem imaginantes, ea corripi, & ſæpè eam magis imaginatione & metu, quàm contagio ſerpere.

Videmus homines imaginatione & aſpectu præcipitii, hoſtis & cujuſvis periculi, contremiſcere, cadere, horrere, in deliquium animi incidere.

Nec deſunt exempla eorum, qui imaginatione mortis una nocte cani facti ſunt. Circumfertur & alterius, qui in theatro ad ſupplicium per jocum alioquin expoſitus, & panno frigida imbuto in collum percuſſus, putans ſe gladii ictum ſentire, exſpiravit. Docet eventus quotidianus, curis, ſolicitudinibus & cogitationibus perpetuis detentos, in phtiſim, hypropem, atrophiam, melancholiam, aliumve morbum non raro incidere.

Scribit *Marcellus Donatus lib.2.c.1. hiſtoriæ ſuæ mirabilis*, Vincentium quendam imaginatum fuiſſe ſe tam magnum corpus habere, quòd per oſtium tranſire auſus non eſſet: ſed Medicum eum vi per oſtium tranſportari feciſſe, poſtea verò ægrum,

A ægrum conqueſtum fuiſſe, ſe in iſta tranſportatione totum fuiſſe interiùs confractum, & paulò poſt eſſe mortuum.

Scribit *Fulgoſus lib.1.c.5.* Arnoldum Philoſophum ſcribere, cum nocte ſomniaſſet ſe à catulo in pede morderi, poſtridie mane in eodem pede ulcus vel anthracem contraxiſſe.

Scribit *Thomas*, ni fallor, *à Verga*, quendam ambulantem inter ſepulchra parentum, cum fortè fortuna calcaret lapillum, ſicut calceus fortiter adhæreret; induxiſſe in animum, ſe à manibus ſuorum parentum trahi: & illa imaginatione intra ſeptimanam mortuum fuiſſe.

Scribunt nonnulli, antiquis temporibus accidiſſe, quòd Hiſtriones, qui agebant perſonas furioſorum, ut Herculis, Athamantis, Thyeſtis, Oreſtis, Alcmæonis aut Ajacis; habuerint tam fortem imaginationem ad benè repræſentandum facta illorum, ut ipſimet actu furioſi facti fuerint.

Nota eſt hiſtoria Æſopi inſignis hiſtrionis, qui exhibens perſonam Thyeſtis, ſceptro occidit unum ſervorum ſuorum.

Lucianus lib. περὶ ὀρχήσεως ſcribit de quodam, quòd repræſentans Ajacem furioſum, factus fuerit ita perturbatus, ut verè evaſerit furioſus.

B Bibius Gallus Romanus, cujus meminit *Seneca in declamationibus*, imitando ſtultum, ipſemet ſtultus factus eſt.

Scribit *Cœlius Rhodiginus lib.20. cap.16. ſuarum antiquitatum*, quendam, cum vellet, paralyſim: alium apoplexiam, & ſenſus mentiſque privationem ſibi excitare potuiſſe.

Fuit Lovanii in Collegio Adriani VI. quod vulgò Pontificis, Sacrarum litterarum Studioſus, qui nimiùm ſtudiis intentus, aut quòd ingenio foret minùs capaci, ad reliqua omnia expeditus & prudens, ſolùm id imaginatus, quòd tam extenſum naſum haberet, quòd totum locum ubi reſidebat impleret: neque ad ſaniorem mentem rediit, niſi induſtria medici interveniſſet, qui oppoſito naribus ipſius inteſtino ſanguine ſuffulto, in partes reciſo, ſuaderet, cæſione illa de naſo tantum adimi, quantum videbat in terram decidere.

PER IMAGINATIONEM MORBI CURATI.

Experientia docet, plurimos fuiſſe curatos à morbis, geſtando ſolùm lapillos, ſordes & quiſquilias: per hoc, quòd crede- C rent illa eſſe nobiliſſima & efficaciſſima amuleta.

Docet etiam experientia, multos in febribus habentes ſummum cibi alicujus deſiderium, & fortiſſimam imaginationem quòd talis cibus eſſet eos ſanaturus, comedendo eum, ſæpiſſimè fuiſſe ſanatos, etiamſi ipſi cibi ſecundùm regulas medicinæ illi morbo noxii & contrarii haberentur. Sic multi aquam crudam ingurgitando, comedendo haleces ad ſatietatem, aquam vitæ bibendo; quæ omnia in febribus à medicis vetantur; ſubitò ſanitatem recuperaverunt, quam acceptis aliis plurimis remediis recuperare non potuerunt. Quod cum non fiat virtute naturali ipſorum ciborum, reliquum eſt, ut non fiat niſi virtute firmæ ægrorum confidentiæ & intenſæ imaginationis.

Scribit *Thomas à Verga*, quendam ex ſuis decumbentem, frequenter in delirio obnixiſſimè medicos rogaſſe, ut liceret ſibi in illo ſtagno (pavimentum monſtrabat) natare, dicendo quòd exinde eſſet convaliturus; & medicos id ei tandem conceſſiſſe: illum tum ſe in pavimentum mox dejeciſſe, & cum in eo aliquanto tempore fuiſſet volutatus, cum ſumma lætitia dixiſſe, aquam nunc ad genua, & paulò altiùs aſcendiſſe: & cum D ultimò ſibi perſuaderet eam jam uſque ad guttur perveniſſe, dixiſſe, ſe jam ſanum eſſe, & revera ſanum evaſiſſe.

Scribit *Michael Medina lib. de recta in Deum fide*, *c.7.* ſe Salmanticæ puerum quendam noviſſe, qui gratiam ſanitatis habere credebatur, qui multos homines ſolo attactu graviſſimis morbis liberabat: ſed morbos tandem iterùm recurriſſe, quando jam ægrotum imaginatio deferbuiſſet.

Alexander Trallianus tradit, quandam quæ ſe ſerpentem devoraſſe exiſtimabat, per hoc fuiſſe ſanatam, quòd vomitorium ſumpſerit, atque oborto vomitu ſerpens injectus fuiſſet clanculùm in teſtam.

Ita Marlianum Medicum, quendam ſe ranas in corpore habere exiſtimantem, curaſſe: & Philotimum medicum alium qui caput ſe non habere putabat, geſtatione magnæ laminæ plumbi reſtituiſſe ſanitati, ſcribunt Gattinaria & Aetius.

Alius, quocunque pergeret, nolæ ſonitum audire ſe imaginabatur: eòque devenit amentiæ, ut aſſiduè eam in capite pulſari aſſereret, ejuſque motum ſe percipere clamaret: Ecce facta modica ſectione verſus ſinciput, ſic ut ſanguis efflueret, emiſſaque per chirurgum è manica quam occuluerat nola, convaluit; nam ex capite ſuo eam decidiſſe arbitrabatur, & ita rem E ſe habere adſtantes affirmabant.

Fuit in celebri Germaniæ civitate civis omnibus notus, qui cum ætatis annos ad maturitatem perduxiſſet abſque ullius medicamenti aut Pharmaci ope vel uſu, contentus illis quæ culina & tellus larga manu donabant; tandem nonnihil alterationis ſentiens, medicum advocavit. Qui explorato pulſu, & cognitis imminentis morbi cauſis, de expurgando ſtomacho per lenimientia aliqua cogitavit. Igitur purgationem præſcripſit ad Pharmacopæum deferendam. Ille verò tanquam de re ardua deliberat, præſcriptum Medici circumfert, cum amicis conſilia init, anxius, quid ſibi ex inſolita illa potione eveniret. Et ecce dum mente turbatur, & chimæras aliquas ſibi proponit, tanta alui laxatio & luxatio ultro ſine reali pharmaci ſumptione ſubſecuta fuit, ut bonus vir timeret, ne & inteſtina ac vitam retrorſum ejiceret: ſanitatem priſtinam paulò poſt recepit.

☞ *Petantur nonnulla ex Loco de Melancholia. Vbi de Melancholia hypochondrica.* F

CIRCA FOETUS.

Vt puta fœtus immutati membris, colore, figura, proportione, &c.

Ac primùm, Circa Fœtum humanum, &c.

EXEMPLA TAM SACRA QUAM PROFANA.

Imaginationem ſive Phantaſiam magnam habere vim immutandi fœtum, & auctoritate & exemplis irrefragabilibus demonſtrari poteſt.

Siquidem *Hippocrates lib. de ſuperfœtatione*, egregiam illius vim agnoſcit, dicens: Deſiderium mulieris prægnantis poſſe fœtum ſignare; (ſi qua, inquit, mulier terram edere concupiſcat aut carbones, eademque edat; in capite pueri ejus ſigna à talibus apparebunt.) Hanc ſignandi vim Hippocratem imaginationi tribuiſſe etiam, colligi poteſt ex *D. Hieronym. in traditionibus Hebraicis ſuper Geneſin*, ubi dicit, Hippocratem ſemel liberaſſe unam mulierem ab infamia & ſuſpicione adulterii; per hoc quòd in ejus cubiculo pependiſſet pictura fœtui ſimilis, in quam ipſa intentam habuerat cogitationem. G

Eandem vim etiam imaginationi tribuit Soranus antiquiſſimus Medicus, teſte *D. Auguſtino contra Iulianum cap.9.* Ibi enim ſcribit D. Auguſtinus, Soranum memoriæ tradidiſſe; quòd cum Dionyſius Tyrannus, utpotè deformis exiſtens, nollet ſibi ſimilem prolem generare, juſſerit pulchram picturam ſuſpendi ante oculos uxoris; ut ipſa illius intuitu prolem picturæ, id eſt, pulchram, non autem patri ſimilem, ſeu deformem, produceret.

Galenus lib. de theriaca ad Piſonem c.14. dicit etiam imaginationem & aſpectum pulchræ picturæ poſſe fœtum mutare, eumque rei imaginatæ ſimilem facere.

Plut.5. de plac. c.12. ſcribit, Empedoclem dixiſſe: Viſu ſub conceptum oblato infantem formari, & rebus viſis & imaginatis ſimilem evadere. Quinimò ſæpè mulieres ſtatuas aliquas adamaſſe, & proles, quas ex illis conceperant, illis ſimiles evaſiſſe: quod Empedoclem ſenſiſſe, *Gal. lib. de hiſtor. Philoſophica* ſibi adſcripto *c.117.* etiam refert.

Ariſtot. ſect.10. probl.12. quærens, cur proles cæterorum animantium magis ſimiles ſint ſuis parentibus, quàm hominum, reſpondet: An, inquit, quia homines magis vago & vario in coitu ſunt animo, quàm illa? prout autem mater in conceptu fuerit, fœtus variatur. H

Plinius lib.7. hiſt. naturalis c.12. dicit, cogitationes & hauſtas ſub conceptu imagines, effingere ſimilitudinem fœtus: & varietatem formarum in genere humano, magis quàm in cæteris animantibus, à ſola ingeniorum varietate & cogitationum tempore conceptus celeritate pendere.

Eodem modo *Cicero 1. Quæſtionum Tuſculanarum*, dicit: majorem ſimilitudinem prolium in beſtiis, quàm hominibus, ex hac ſolùm cauſa pendere, quòd illæ rationis ſint expertes.

Avicenna Fen.2. lib.2. doctr. 2. c.14. Eſt, inquit, & cum corpus patitur propter affectiones animales, quales ſunt imaginationes. Plurimùm enim, inquit, imprimunt res naturales, quemadmodùm accidit, ut puer ei ſimiletur, cujus forma imaginata fuerit in hora coitus viri & mulieris; & ut ſit ejus color propinquus colori ejus, quem viderunt, cum fit caſus ſpermatis. Et iſtæ, inquit, ſunt res, quas homines credere abhorrent, qui non ſcrutantur diſpoſitiones: illi verò, qui ſapientiam diligunt, non negant eas. *Et 3. canonis fen. 22.*

A *tract.1. c.2.* addit: aliquos ſapientes dixiſſe, & in eo quidem non erraſſe; quòd cauſa aſſimilationis fœtus, ſit diſpoſitio conceptionis in mente mulieris, aut viri, firmiter exemplificata.

Heliodorus antiquiſſimus ſcriptor, poſtquam tradidiſſet hiſtoriam Cariclææ quæ alba ex Æthiopibus parentibus nata erat, eò quòd Regina mater ejus picturam quandam ſemper intuita fuiſſet, in qua Andromeda alba facie depicta erat; ſubjungit: Gymnoſophiſtas, qui erant illius regionis ſummi ſapientes, id factu poſſibile eſſe judicaviſſe.

Legitur 30. *Geneſeos*, ſanctum Patriarcham Jacob, ut acquireret oves diverſi coloris, cepiſſe virgas virides & populeas & amygdalinas, & eas hinc inde decorticaſſe, ut eſſent variegati coloris, & poſuiſſe in canalibus aquarum, ad quos mane oves venturæ erant potatum, ut ipſæ poſtmodùm in congreſſu, imaginatione diverſitatis illorum colorum, fœtus producerent variegatos. Sed de hoc infrà.

Cujus facti mentionem faciens *D. Aug. lib.3. de Trin. c.12. & lib.12. de Civit. Dei, c.25.* illam immutandi fœtus vim imaginationi quoque concedit. Quinimò *lib.18. c.5.* ejuſdem operis, rationem dans, quomodo factum fuerit, quòd apud Ægyp- B tios nunquam deficeret bos quidam candidis maculis diſtinctus, quem Apim appellabant, & pro Deo colebant; putat id factum fuiſſe, quòd dæmon coeuntis alicujus vaccæ imaginationem, ſimilium ſpecierum oblatione ſic immutaverit, ut poſtea ſimilem ſemper fœtum produxerit.

D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis ſuper Geneſim, dicit, hanc in conceptu fœminarum eſſe naturam, ut fœtum imaginatæ rei ſimilem producere queant.

Et ſcribit *Cœlius Rhodiginus lib.20. antiquarum lectionum c.14.* Fabium Quintilianum mulierem quandam à ſuſpicione adulterii liberaſſe, quæ nigram prolem pepererat; per hoc, quòd in cubiculo pictura nigri Æthiopis pependiſſet. Quod de eodem etiam D. Hieronymus, ni fallor, loco ſupra citato, & alii de Alcibiade referunt.

Heſiodus antiquiſſimus Poeta *lib.2. de operibus & diebus*, præcipit, ne quis à funere rediens, liberis operam det, ne imaginatio rei triſtis in proles tranſeat, eaſque permutet, his verbis:

Μὴ δ' ἀπὸ δυσφήμοιο τάφου ἀπονοστήσαντα
Σπερμαίνειν γενεήν, ἀλλ' ἀθανάτων ἀπὸ δαιτός.

C *Iſidorus lib 12. originum cap.1.* dicit, imaginationem animalium poſſe fœtum rei viſæ ſimilem reddere. Etenim, inquit, anima in uſu venereo formas extrinſecas intùs tranſmittit, eorumque ſatiata typis, rapit ſpecies eorum in propriam qualitatem.

Hanc vim immutandi fœtum, præter jam recitatos, imaginationi etiam tribuunt omnes, qui ſequuntur: *Albert. Magnus lib.12. tract.1. c.3. Marcilius Ficinus lib.13. Theolog. Plat. c.1. Tartaret.2. animæ articul. penult. Michael Medina lib.2. de recta in Deum fide, c.7. Cardin. lib.12. de ſubtilitate, Pererius ſuper Geneſim c.30. diſp.3. Toletus ſuper 2. Phyſic. q.13.* Et plures alii.

Huc accedit commune adagium: Filium ex adultera excuſare matrem à culpa: quo ſignificatur, filios ex adulterio natos plerumque magis ſimiles marito eſſe adulteræ, quàm vero genitori: eò quòd mater continuò de marito cogitans, metuendo, ne ab eo deprehendatur, vel vultus ſuæ prolis prodat verum genitorem, illa imaginatione reddat eam magis ſimilem marito, quàm vero genitori.

Probatur porrò etiam experientia & exemplis. Primùm D *Galeni* loco citato, qui ſcribit, quendam virum divitem, cum deformis eſſet, juſſiſſe uxori, ut tempore conceptionis inſpiceret pulchram picturam: exinde contigiſſe, eam poſtmodùm pulchram prolem picturæ ſimilem edere.

Plutarchi etiam loco citato, qui dicit, mulieres aliquas ſtatuas adamaſſe, & poſtmodùm edidiſſe fœtus illis ſimiles.

Heliodori jam etiam mentionati, qui *lib.1. hiſt. ſuæ Æthiopicæ*, ſcribit Reginam Perſinam Æthiopem, ex marito Hydaſpe pariter Æthiope peperiſſe albam prolem, dictam Cariclæam, ex eo, quòd intuita fuiſſet picturam quandam, in qua Perſeus & Andromeda alba facie erant depicti.

Præter illa ſunt alia adhuc multa exempla. Scribit *Iuſtinus lib.15. hiſt.* Laodicem uxorem cujuſdam Antiochi clari inter Philippi Duces viri, per quietem viſam ſibi fuiſſe ex Apolline concepiſſe, & pro mercede concubitus annulum ab Apolline recepiſſe, in cujus gemma anchora inſculpta eſſet: & poſtea filium peperiſſe Seleucum, notam anchoræ in femore gerentem.

Marcus Damaſcenus, ut teſtatur *Petrus Meſſias lib. variarum lect. c.7.* ſcribit, in confiniis Piſæ in loco quodam Petra ſancta appellato, natam fuiſſe puellam totam hirſutam; ex eò E quòd mater tempore conceptus imaginem D. Joannis ad lectum pendentem intuita fuiſſet: quam filiam Michael de Montagna ſcribit Carolo Regi Bohemiæ fuiſſe præſentatam.

Scribit *D. Hieronymus in quæſtionibus ſuper Geneſim* loco ſupra citato, mulierem quandam nigrum fœtum peperiſſe, eò quòd fortem de Æthiope imaginationem habuiſſet.

Gulielmus Paradinus in hiſtoria Sabaudiæ in Epilogo ad c. 46. ſcribit, neptem Nicolai tertii Pontificis, qui erat de familia Urſinorum, peperiſſe prolem totam villoſam, ungulis armatam inſtar urſi: eò quòd in imagines urſorum in ædibus illius familiæ depictorum intuita fuiſſet: propter quod Pontifex exinde juſſit omnes imagines urſorum in urbe Roma exiſtentes aboleri. *Lycoſthenes in lib. de prodigiis, & Iaſon. Pratenſis*, dicunt, id anno primo Pontificatus Martini accidiſſe.

Ludovicus Vives in Comm. ad cap.24. lib.12. Auguſtini de Civitate Dei, recitat, Sylvæ Ducis in Brabantia Virum quendam, qui dæmonem publicis ludis exhibuerat, domum reverſum iiſdem adhuc ſcenicis veſtibus indutum, cum uxore rem habere voluiſſe dicendo, quòd ex ea diabolum progignere vellet: ipſam autem deterritam poſtea fœtum figura diabolica produxiſſe. F

Peramatus lib. de hominis procreatione cap.17. agens de vi imaginationis in fœtu mutando, narrat hiſtoriam cujuſdam monſtri valdè admirabilem, nati in India Orientali in oppido S. Laurentii anno 1573. menſis Aprilis die 6. delatam ad Ducem de Medina Sydonia, & variis fide dignis teſtimoniis comprobatam: quòd habuit oculos, os, aures, nares valdè deformi & horribili figura: in fronte duo cornua inſtar cornuum capræ primùm enaſcentium: pilos oblongos: in ventre cingulum carneum duplicatum cum fruſto carneo ex eo dependente inſtar peræ: in ſiniſtra manu ſonalium ſeu campanulam carneam, ſimilem illis quibus Indi ad tripudia utuntur: in cruribus ocreas carneas albas reduplicatas: in dextro crure quaſi cingulum aut compedem cruri circumductum: totum figura valdè horribili, ſimilem diabolo humana ſpecie tripudianti; natum (ut inſinuat) ex eo, quòd mater territa fuiſſet à diabolo, quem (ut ibi crebriora hominum cum dæmonibus ſunt commercia) illa forma tripudiis viderat commixtum.

Philippus Meurs Protonotarius Apoſtolicus, & Lovanii in æde S. Petri Canonicus, vir tam ſenex, ut tria viderit ſæcula; ſæpè & infinitis narravit, ſe habuiſſe ſororem toto reliquo corpore perfectam, quæ nullum habebat caput, ſed loco capitis collo ſuperpoſitam concham teſtaceam ad ſimilitudinem mitelli, conſtantem duabus valvis, quæ aperiebantur & claudebantur, per quos cibum cochleari miniſtratum ſumebat; quam dicebat ita natam eſſe ex eo, quòd mater ejus tẽpore geſtationis uteri, muſculos marinos quos in foro viderat venales, nimis intensè deſideraſſet, & potiri non potuiſſet. Illud monſtrum dicebat perveniſſe uſque ad annum undecimum ætatis, & mortuum eſſe ex eo, quòd ſemel præ iracundia cochlear, quo cibus miniſtrabatur, nimis fortiter præmordiſſet; unde contingebat illas valvas teſtaceas frangi: quibus fractis, ipſum moriebatur. Ejus imaginem habebat pluries in cubiculo ſuo depictam, quam totus mundus vidit. Hiſtoria iſta eſt Lovanii nemini non nota. G

Scribit *Sebaſtianus Munſterus lib.3. ſuæ Coſmographiæ*, propè Moguntiam ſuo tempore accidiſſe, cum duæ mulieres ex oppoſito ſibi in platea confabularentur: aliam ex improviſo venientem è tergo capita utriuſque colliſiſſe, & alteram earum, quæ prægnans erat, duas inde filias peperiſſe, capitibus oppoſitis, id eſt frontibus uſque ad naſum cohærentes: quæ ſic decem annis continuis conjunctæ vixerunt. H

VVyerus lib.4. de præſtigiis dæmonum c.18. ſcribit, Quemdam ægrè ferentem uxorem ſuam uterum geſtare, accenſo animo ei dixiſſe; ſe credere quòd diabolum in ventre geſtaret: & ipſam poſtmodùm prolem peperiſſe cornutam in forma diaboli ac ſatyri, multis deformitatibus præditam.

Scribit *Cornelius Gemma lib.1. ſuæ Coſmotriticæ, cap.6.* Quandam mulierem Lovanii inter confabulandum, cum fortè mentio fieret de ejus graviditate, dixiſſe; ſe tempus partus computare in feſtum trium Regum: convivas ei precatos eſſe, ut tres Reges in lucem proferret: ipſam hilari animo reſpondiſſe; quod fauſtum felixque ſit, Et tempore elapſo, tres filios peperiſſe, quorum unus erat nigriore & bituminoſo colore.

Scribit idem, Lugdunenſi cuidam mulieri gravidæ accidiſſe quòd, cum jam tempus partus inſtaret, & maritus ſtricto gladio ſemel eam inſequeretur, & ejus fronti minaretur, ipſa poſtea

A ſtea pepererit prolem, magnum in fronte vulnus gerentem: ex quo ita abundè mox ſanguis fluxit, ut ſiſti nequierit, & obierit.

Lævinus Leminius lib. 1. *de occultis naturæ miraculis*, *c.*4. habet, quòd cùm nebulo quidam ex improviſo cuidam gravidæ picturam pueri permagno capite oſtendiſſet; ipſa attonita pepererit prolem, prægrandi, fungoſo, ac monſtroſo capite.

*Langius tom.*2. *epiſt. epiſtola* 12. refert, mulierem quandam appetitum acquiſiviſſe mordendi humeros cujuſdam piſtoris quem nudum videbat: maritum induxiſſe pretio piſtorem, ut pateretur: ipſam bis momordiſſe; tertium morſum piſtorem ferre noluiſſe: tandem enixam eſſe tres proles, quarum duæ vivæ, tertia mortua erat: propter tertium morſum ei denegatum.

*Thomas Eraſtus lib. de occultis pharmacorum proprietatib. cap.*34. refert, Heroinam quandam mirabili antipathia à felibus ſolitam perterreri, & ſibi dixiſſe, cauſam ejus eſſe, quòd mater ejus, cum ex ea gravida eſſet, ſemel à fele prope eam inopinatò decidente perterrita fuiſſet; etſi antea tamen feles non odiſſet.

B Scribit *Balduinus Ronſſæus libello de primordiis hominis c.*10. Goudæ in Hollandia mulierem quandam videntem greges gallinarum Indicarum, ſic conſternatam fuiſſe, ut poſteà pepererit fœtum habentem faciem multis excreſcentiis carnoſis multiformis coloris, galli Indici inſtar, deturpatam.

Paræus lib. 24. *c.*7. *ſuæ Chirurgiæ*, ſcribit, anno Domini 1517. in Boſci Regis Parœcia in Byera ſylva, via ad fontem Bellæ acquæ, natum fuiſſe monſtrum facie ranali: ex eò quòd mater ipſa nocte qua cum marito rem habebat, ranam manibus contra febrem alligatam habuiſſet.

Jacobus Horſtius libello de aureo dente, ſcribit, ſe non tantùm colores & maculas, ſed carnea fragra & ceraſa in dorſo, & genis, virtute imaginationis producta, ſæpè vidiſſe.

Refert *Schenkius in libris obſervationum ranarum*; quendam Jacobum Suterum Doctorem Medicum hanc ſibi obſervationem miſiſſe: nimirùm, ejus uxori contigiſſe, quòd ob fruſtum carnis ei à lanione in macello denegatum, ita iracunda facta fuerit, ut ſanguis ei è naribus effluxerit: & cum eum defluentem perciperet, & à labris abſtergeret, enixa tandem fuerit fœtum ſupremo labro carentem.

C Retulit mihi vir quidam gravis & fide dignus, pro certa hiſtoria, mulieri cuidam gravidæ juxta murum ambulanti lacertam in pectus inſiliiſſe: inde ipſam graviter conſternatam, paucis pòſt diebus peperiſſe fœtum, in pectore carneam lacertam habentem, quæ caput in carnem pueri infixum & occultatum, reliquam corporis partem foris haberet.

Fuit & alibi in Brabantia quædam, quæ & vultu, & geſticulatione ſimiam referebat, ex eo putatur, quòd mater ejus gravida, ſimia quadam quam domi habebat, valdè delectata fuiſſet, & frequenter cum ea luſiſſet. Alia exempla plurima vulgò narrantur, quæ, quia nec fide dignos authores, nec probatam habent veritatem, hìc non ponuntur.

Plurimi rubras in facie maculas habent, qui eas habere creduntur, ex eò quòd matribus gravidis in menſa ſcyphi vino rubro pleni inopinatò in gremium ſint effuſi. Multi homines videntur magnas maculas pilis conſitas in facie & reliquo corpore habentes; qui eas habere dicuntur, quòd matres gravidæ ex improviſo juxta eas decurrentibus, aut ſupra caput incidentibus muribus, aut gliribus deterritæ fuerint.

D Alii plurimas habent maculas rotundas fragi aut ceraſi ſimilitudinem habentes; qui eas habere putantur, quòd matres gravidæ ceraſorum aut fragorum deſiderio affectæ fuerint, quibus potiri non potuerint. Porrò non in hominibus tantùm, ſed etiam in brutis animantibus contingit, fœtus illis rebus aſſimilari, quæ tempore coitus fuerint in parentum imaginatione. Hæc *Thomas Fienus Tract. allegato, quæſt.* 13.

Fœtus & Catuli beſtiarum immutati.

Patriarcha Jacob inito cum Laban pacto (quod erat, ut omnes fœtus ovium & caprarum, quas paſcepat, deinceps naſcituri, ſi eſſent unicolores, puta toti albi aut nigri, ipſi Laban cederent: ſin verò varii aut ſparſi coloris naſcerentur, vel ſubnigri, puta partim albi, partim nigri, cederent Jacob) inſigni dexteritate effecit, ut maxima pars gregis verſicolori vellere ederetur. Siquidem virgas populeas & decorticatas poſuit in canalibus, ubi effundebatur aqua: ut cum veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in conſpectu eorum conciperent. Factumque eſt, ait Scriptura *Gen. cap.* 30. E ut in ipſo calore coitus, oves intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diverſo colore reſperſa.

Avicenna & Albertus Magnus lib. 9. *de animalibus* tradunt, pullum è gallina prognatum cervice accipitrina, eò quòd Gallina inter concipiendum ab accipitre ſuperevolante territa fuiſſet.

Scribunt illi qui de agricultura agunt, pavones evadere albos, ſi cùm fœmina ovis incubat, linteis albis contegatur. *Oppianus lib. de venatione* dicit, hac eadem arte procurari poſſe columbas variis coloribus præditas.

— Columbarum pullos hac arte figurat.
Stragula flammeolis oculis, rubroſque tapetes
Et veſtes oſtro perfuſas objicit auceps:
Sicque oculos paſcens, animos eludit amantes,
Et pullos edit rubeo diſcrimine mixtos.

Scribit *Iſidorus lib.*12. *Originum c.*1. & *ex eo Cælius Rhodiginus c.*20. *lib.*15. in Hiſpania ſolere equiſones equos immutare, & generoſos ſibi procreare, objiciendo oculis concipientium equarum, equos valdè generoſos: quorum imaginatione ipſæ ſimiles producunt: Et columbarum directores curare in columbariis depingi pulcherrimas columbas, ut femellæ, earum intuitu, poſſint ſimiles generare. Quod etiam *Oppianus lib. præfato* his verbis teſtatur: F

Inque utero matris pulli variare colores
Poſſunt, humanæ quanta eſt ſolertia mentis,
Quales exſpectant pretioſo corpore pullos
Efficere, & tumida quando geſtatur in alvo,
Saucia dum mater violento flagrat amore,
Et formoſus eam præſto admiſſarius ardet.
Magnanimum ſiquidem diſcriminat ante maritum,
Et tergum variis pigmentis pingit equiſo.
In thalamos tandem adducunt ſpendore ſuperbum.
Tum mater gignit maculoſum corpore pullum,
Concipiens oculis objectos mille colores.

Imò ſcribit idem *Oppianus*, etiam homines ſolere hoc artificio uti ad formoſas proles producendas: G

Illa ſolent etiam ſæpè uſurpare Lacones,
Dum uxores cernunt utero catulire tumenti,
Eximiè pictas tabulas & ſplendida ponunt, &c.
Dum tabulas luſtrant oculis formaſque venuſtas,
Attonitæ pariunt formoſos ore Lacenæ.

Et ſcribit etiam *Iſidorus*, propterea vetari mulieribus gravidis, ne inſpiciant deformes animalium picturas; ne earundem intuitu affecta imaginatione, conſimiles proles progignant.

Scribit *Michael Medina loco ſuprà citato*, gallinam non pullum, ſed ſerpentem producturam eſſe, ſi dum ovis incubat, incluſis cancellis aliquibus ſerpens ejus oculis continuò objiciatur.

Alii ſcribunt, gallinas producturas eſſe pullos diverſi coloris, ſi ova earum diverſis coloribus depingantur.

Scribit *Iulius Scaliger exercitatione in Cardanum* 59. *ſect.* 1. cauſam, cur in Scythia, Norvergia, & Allobrogum montibus, & aliis nivoſis locis, vultures, aquilæ, vulpes, perdices, urſi, & corvi albi inveniantur; non aliam eſſe, quàm quòd aſpectus nivium imbuat phantaſiam ſpeciebus illius albedinis, quæ in ipſis poſteà fœtibus exprimantur. H

CIRCA RES SPIRITUALES.

Quatenùs aſſidua, & fortis imaginatio earumdem mira in homine operatur.

Legimus in vita S. Ignatii, qòud inter omnia ſibi illata tempore paſſionis tormenta, nunquam ab invocatione nominis Jeſu ceſſabat: & requiſitus à tortoribus, cur hoc nomen toties replicaret: reſpondit, ſe nomen hoc cordi inſcriptum habere: quo deinceps à leonlbus ſuffocato & lacerato, tortores volentes curioſiùs, quod Sanctus dixerat, experiri, evulſerunt à corpore ejus cor, atque illud per medium ſcindentes, invenerunt cor ejus totum ſcriptum hoc nomine litteris aureis, Jeſus Chriſtus.

Simile

A Simile quid refertur *in libro Apum*, de quodam Chriſtiano captivo, qui quum inſerviret Gentili tyranno, & honeſtè inter alios famulos retineretur, ille nihilominùs triſtis & gemebundus perpetuò incedebat: quod miratus tyrannus, cum quæreret, cur non gauderet cum aliis; reſpondit ſe quidem cum illis gaudere, verùm ſemper ſtigmata paſſionis Chriſti in corde portare. Quo commotus tyrannus, aut indignatus, Ego experiar, inquit, quæ dixiſti: ſtatimque juſſit aperto corpore martyris cor ejus evelli, & per medium cultro ſecari, in quo res miranda tyranno cum ſuis apparuit, & pro ſigillo pars una cordis altera Chriſti crucifixi imaginem continens reperitur. Quo viſo tyrannus cum ſuis credidit, & baptiſmum ſuſcepit.

In *eodem libro* aliud refertur de Priore Ordinis Prædicatorum in Argentina civitate Theutoniæ, qui ſemper ſive gradiens, ſive ſedens, ſignum Crucis in pectore delineabat: & quòd poſt mortem ejus multo tempore conſumptis carnibus, in oſſe pectoris, cui ex utraque parte cohærent coſtæ, ſuperiùs inventum ſit ſignum Crucis ſubſtantia oſſea ſpiſſitudine evidentiſſima elevata. Refert *Petr. Greg. Tholoſan. lib.*16. *cap.*3. *de Repub.*

B

---

* Imago.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

IMago, εἰκὼν ab imitando quaſi Imitago dicitur: quia repræſentat rem aliquam. Eſtque exemplar & repræſentatio rei alicujus, cùm animatæ, tum inanimatæ: unde nonnunquam idem eſt cum ſimilitudine; & ita intelligunt locum illum, *Gen.*1. Fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: ut ſit ſenſus, ad imaginem ſimilitudinis, ut habetur *Sap.*2. ſive imaginem ſimillimam.

USUS IN GENERE, ET ANTIQUITAS.

Antiquitatem imaginum arguunt antiquiſſima idola, quæ etiam in lege naturæ uſitata & culta legimus. Siquidem Rachel furata deſcribitur idola patris ſui, *Gen.c.*31. ubi Hebraicè pro voce (Idola) habetur Teraphin, quod ſignificat ſtatuas humanas, ſive humanam formam habentes. Laban enim totaque illius domus idola colebat cum vero Deo more gentis, unde *c.*35. dicitur Jacob omnia idola domus ſuæ abjeciſſe, & infodiſſe ſubter Terebynthum. C

Nobiliores quoque olim imagines majorum ſuorum ad vivum expreſſas in atriis ſuſpendere ſolebant, illarum multitudine generis nobilitatem metientes; unde Piſonem carpens Cicero, Obrepſiſti, ait, ad honorem errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile nihil habes preter colorem. Sic *Plinius* nobilitatem parùm antiquam appellat ſubitas imagines. ☞ *Vide infrà Tit. Vſus varius.*

IN SPECIE.

DE IMAGINIBUS RELIGIONIS ERGO HABITIS, DONATIS, VETITIS, PERMISSIS.

APUD ETHNICOS.

☞ *Qui imagines non habuerint. Qui verò eas coluerint, qua forma, cæremoniis, habitu, &c. Petatur ex Tit. Ethnicorum, ubi multa de Ethnicorum Religione circa Simulacra, Idola, Feſta. Item Imagines Ethnicorum dono datæ, honorificæ, &c. Pete ex Loco de Donatione, Tit. Donatio Religioſa, §. Simulacra, Imagines, Statuæ. Videatur etiam Locus Idololatrarum, & Idolorum.*

D

APUD JUDÆOS. VETITÆ.

☞ *Conſule Tit. de Iudæorum Religione, §. Simulacra, Imagines Iudæorum. Item Tit. de Idolis.*

Pro quorum elucidatione ſciendum, Judæis in lege ſcripta vetitum à Deo, facere ſculptile, aut omnem ſimilitudinem eorum, quæ in cœlo ſunt deſuper, & quæ in terra deorſum, & quæ verſantur in aquis ſub terra. *Exod.*20. & *Deut. c.* 5. Quod præceptum quidam docti eſſe partim naturale, partim cæremoniale contendunt. Sicut illud eſt de Sabbato ſanctificando. Naturale quidem, quatenùs vetat cultum plurium Deorum præterquàm unius: Cæremoniale & temporaneum ſolis Judæis datum, uti etiam Sabbati præceptum, & cum Judaiſmo abolitum, quatenùs eis præcipitur ob periculum idololatriæ, ad quam erant maximæ proclives, non facere imagines, aut ullam ſimilitudinem. Quamvis Deus in ſua lege diſpenſaverit, ſemel ac iterùm imagines fieri jubendo. *Videatur Gab. Vaſquez de Adoratione lib.*2. *diſp.*4. *cap.*2. Sentiunt alii, præceptum hoc per omnia eſſe naturale. Sculptile enim quod hìc fieri vetatur, vertunt LXXI. Idolum, & Scriptura vocat Deos alienos: vetari ergo omnem imaginem hìc, quæ inſtar idoli habeatur, fiat, adoretur; adeoque duo vetari, imaginem quæ ſit inſtar Dei & Idoli, ac illius adorationem & cultum. E

PERMISSÆ, PRÆCEPTÆ.

Judæi ex religione abſtinebant ab uſu imaginum, ut nullam unquam poſſent occaſionem habere idololatriæ, ut docet *Ioſephus, & Philo.* Unde cum Pilatus & Petronius tentaſſent imagines Tiberii & Caligulæ in templum inducere, Judæi uſque ad mortem reſtiterunt, teſte eodem *Ioſeph. lib.* 18. *antiq. Iud.*4. & 10.

Deum tamen præcepiſſe fieri imagines Cherubin ſuper arcam, patet *Exod.* 25.

Serpentem æneum in deſerto; idque eo fine & effectu, ut qui eum intuerentur, ſanarentur à morſu ignitorum ſerpentum, *Num.*21.

Salomon quoque 3. *Reg.* 6. fecit Cherubinos de lignis olivarum 10. cubitis longos, quos texit auro: Boves inſuper, Leones, & ſimilia, in magnifico ſuo templo.

Quin ipſe Deus, qui hominem creavit ad imaginem ſuam, & uxorem Loth convertit in ſtatuam Salis, dedit viris duobus Beſeel & Ooliab ſpiritum ſuum & ſapientiam, ad ſculpendum, & excogitandum multùm pro ornatu tabernaculi. *Exod.* 31. F

Adde, tempore Chriſti Judæos habuiſſe imaginem in nummis Cæſarum, & Principum, ut conſtat ex denario exhibito Chriſto, *Matt.*22. & modò etiam in pecuniis eas habent, auleis, cælaturis, gemmis; quare nihil notius, ac magis manifeſtum.

* IMAGINES LICITE FIERI, QUORUM, videlicet DEI.

Deus corporea ſpecie ſe videndum exhibuit, *Gen.*3. tanquam homo deambulans in Paradiſo. Jacob eum vidit innixum ſcale, *Gen.*28. Moyſes vidit illius poſteriora, id eſt, tergum & humeros, *Exod.*33. Iſaias, & Micheas viderunt Dominum ſedentem in ſolio: Amos ſtantem ſuper Altare: Daniel deſcribit ejus capillos, & veſtimenta, *c.*7. Deinde Scriptura ei tribuit omnia membra.

Cur igitur non poterit talis exhiberi in pictura, vel imagine, quæ eſt loquens Scriptura?

*S. Aug. l.*2. *c.*11. *de Trin.* dicit, in tribus illis viris qui apparuerunt Abrahæ, *Gen.*18. fuiſſe imaginem SS. Trinitatis.

Imò dicit Patris perſonam in forma humana viſam, *Dan.*7.

SS. TRINITATIS.

G

Imaginem quandam SS. Trinitatis agnoſcit ſuprà *Auguſt.* & quidem formam Patris indicari ſignificat, apud *Dan.c.*7. Filii verò figuram, qui in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, abſque labore exprimimus, ut notum eſt.

Spiritus S. in ſpecie columbæ apparuit, *Matt.cap.*3. & in linguis igneis, in die Pentecoſtes, *Act.*2.

Cur ergo ſimili imagine exprimi nequeant, cujus exemplar ipſe Deus videndum exhibuit?

ANGELORUM.

Angeli apparuerunt frequentiſſimè in forma humana, *Gen.* 18.19. Tobiæ frequentiùs viſi ſunt cum alis, *Iſ.*6. & *Dan.*10. In ſtola candida, *Matt.ult. Io.* 20. At non vetantur hiſtoriæ illarum rerum, quæ illis Scripturæ locis memorantur, pingi: cur igitur imagines illorum, ea forma qua ſe conſpiciendos præbuerunt?

Sed & Deus præcepit fieri Cherubinos ſuper arcam, ut conſtat *Exod.* 25.

Salomon fecit eos ſine ſpeciali præcepto, 3. *Reg.* 6.

CHRISTI, ET SANCTORUM.

H Christus in Scripturis variè comparatur, modò aquilæ, modò colubro, agno, paſtori ovium, oſtio, viti, ſeminanti. Apparuit quoque habitu hortulani, peregrini, &c. Cur iiſdem figuris exprimi non poterit? Deinde variè ſe habuit, nunc docendo, nunc ſanando, ambulando, navigando, patiendo, moriendo, reſurgendo, aſcendendo: quid vetat, quo minùs in hiſtoria ſic repræſentetur, vel etiam extra eam ob bonum aliquem finem?

Refert *Evagr. lib.*4. *cap.*26. Chriſtum ipſum linteo quod faciei ſuæ admoverat, imaginem ſui expreſſiſſe, & Abagaro Regi miſiſſe: cujus hiſtoriæ veritatem confirmat dies feſtus, qui Conſtantinopoli ſumma veneratione olim agebatur in memoriam tranſlationis hujus imaginis, ex Edeſſa Conſtantinopolim. *Videatur Metaph. in vita Conſtant. & Damaſc. lib.* 1. *de Imagin. Lege Titulum ſequentem initio.*

De Imaginibus aliorum Sanctorum, uti etiam S. Crucis, & aliorum Fidei noſtræ myſteriorum, eas licitè fieri, & utiliter haberi, conſtabit ex earumdem antiquo & probato Eccleſiæ uſu, quem ſubjungimus.

Imagines Imperatorum, Heroum, Virorum arte, virtute, & ſcien-

A *ſcientia illuſtrium.* ☞ *Quære in Tit. de Honore. Item de Columnis, Statuis, &c.*

* APUD CHRISTIANOS. IMAGINUM USUS ANTIQUUS, ET VARIUS.

Quatenus ſunt indoctis inſtar Libri. ☞ *Vide in Titulo de Inſtitutione, ubi de Inſtrumentis agitur Inſtitutionis.*

Cum Augarus, alii Abagarum, alii Abgarum nominant, Edeſſenorum Princeps, audiviſſet Chriſtum iis, qui diuturnis premebantur morbis, congruentem valetudinem ſine remediis & herbis, & quidem gratuitò, præbere, aliaque multa viribus noſtris majora efficere opera, ad eum ſcribit orans, ut ne ei moleſtum ſit ad ſe venire, ipſumque, quo jam dudum affligebatur, inveterato morbo liberare. Poſtquam autem Augarus ſcripto ſuo perſuadere ei, quod voluiſſet, non potuit, deſperato Jeſu, propter reſponſum acceptum, adventu, quid caperet conſilii incertus, eo tamen quo in Chriſtum tenebatur deſiderio perculſus, pictorem eximium ad eum miſit, eique ut diligenter & accuratè faciem ejus in pictura effingeret, imaginemque B pro deſiderato illo ſibi afferret, imperavit. Et ille quidem venit, atque in loco ſublimiore ſtans, pingere Chriſti vultum, ut decebat, conabatur. Quum verò cœptum opus non ſuccederet divinus quippè ſplendor & gratia in vultu ejus coruſcans, impedimento erat, re ea cognita Salvator textum lineum petit, in eoque priùs loto faciem ſuam exprimit, & ad Augarum mittit. Dicitur quoque Perſarum Rex, manu ingenioque promptum pictorem miſiſſe, & per hunc fidei deſiderio, ſimul & ipſius Chriſti, & quæ eum divino modo genuit, Matris, quàm celerrimè imaginem depictam accepiſſe. Atque hæc quidem ex tabulariis & archivis civitatis Edeſſæ, quæ tum regia adminiſtrabatur poteſtate, ſunt deſumpta; fuerant enim in publica librorum monumenta relata. Et libri de Augari rebus conſcripti hæc quoque complectebantur, ex Syrorum lingua tranſlata. *Niceph. lib. 2. hiſt. cap. 7. Evagr. lib. 2. cap. 26.*

Solet apud Græcos ſervari ſolemnis memoria hujus Imaginis 17. Kal. Septemb. ut conſtat ex eorum Menologio. ☞ *Vide Baronii notas ad Martyr. 9. die Novemb.*

Fertur S. Lucas quoque primus Chriſti, & quæ eum ita ut Deum genuit Matris, atque ita Principum Apoſtolorum pin- C gendi arte effigiem adumbraſſe; unde in omnem deinde habitabilem orbem tam venerandum, & pretioſum opus eſt illatum. *Idem lib. 6. c. 16.* Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ipſiuſque adeò Chriſti, & quæ eum ſupra naturæ captum mirificè genuit Virginis Matris, coloribus adumbratas imagines plurimas ad hunc uſque diem conſervatas eſſe novimus. Ac Lucas quidem Apoſtolus, ipſas accuratè, opus id exorſus, manibus ſuis depinxit: deinde verò ex veteribus alii quoque viri, pro eo atque par erat, veluti ſervatores ſuos in ſignis & picturis ſervantes, idem fecere. *Niceph. Calliſt. lib. 2. cap. 43. & lib. 6. cap. 16.*

Ego porrò aliud quoque inſigne miraculum, potentiam Chriſti exhibens, vi temporum obrui non patiar, ait *Nicephorus Calliſtus.* Phœniciæ urbs eſt, quæ antiquiſſimum nomen habuit Dan, appellatione ea ab ipſo Dan, ex Patriarchæ Jacob filiis uno, accepta, qui tribus & gentis ejus locum eum tum incolentis princeps & author fuit. Longo deinde tempore pòſt, Herodis filius Philippus Cæſari gratificatus, de ſuo atque illius nomine urbem magnificè ornatam ædificiis, Phi- D lippi Cæſaream nuncupavit. Græci autem propterea quòd in ea Dei Panis ſtatuam collocaverint, Paneadem vocarunt. In hac ipſa urbe fons quidam eſt: ad hunc MULIER illa, quæ ſanguinis fluxu laboraverat, præclaram ex ære Chriſto erexit ſtatuam, aliquam ſaltem benefactori ſuo, ob depulſum ſibi gravem morbum, officio eo gratiam rependens. Statua ipſa ſpectantibus plurimum tribuit gratiæ & amœnitatis. Ad hujus pedes herba enata eſt, præſentiſſimum ægritudinum omnium, potiſſimùm verò tabidi morbi remedium. Et cùm, qui ea curabantur, ſumma diligentia cauſam tantæ efficaciæ inquirerent, invenire tamen eam omninò non potuere; temporis enim diuturnitate & oblivione interciderat, cujuſnam ea ſtatua formam referret, & cujus rei gratia ibi eſſet collocata. Quod namque divinum ſimulacrum ſub dio aſtaret, non parum corpus ejus etiam eſt immutatum, & imbres ex locis ſuperioribus limum ſecum trahentes, ſtatuæ ipſi aggeſſerant: quam ob cauſam cognitio ea, quæ ex litteris omnia indicantibus provenit, incerta reddita. Cæterùm cùm cura & diligentia majore promanans inde gratia inveſtigaretur, terra illa effoſſa, litteræ tum demùm apparentes, rem ipſam certò indicarunt. Et deinceps herba ea, ab eo tempore, neque eo ipſo, neque alio loco eſt conſpecta. Sed enim Chriſti ſtatua Julianus dejecta, ſuam E ipſe in locum ejus conſtituit. Et ecce derepente ignis è cœlo vehemens dejectus, ſimulacrum illius circa pectus diſcidit; caputque unà cum collo dejectum à pectore, abruptum in faciem proſtravit. Atque id longo poſteà tempore ſic duravit, fuliginem eam fulminis apertè, veluti per inſcriptionem columnæ inciſam teſtificans. Statuam autem Chriſti Chriſtiani tum in Diaconicum Eccleſiæ abſtulerunt, & honoratiore loco poſitam, cultu convenienti proſecuti ſunt. Locum namque eum libenter frequentantes, & imaginem ipſam inſpectantes, deſiderium ſuum & amorem erga ſtatuæ ipſius archetypum primariumque exemplar declararunt. Impii porrò Imperatoris iſtius temporibus, qui Paneadæ fuere, Græcæ ſuperſtitionis ſectatores concitati, ſtatuam eam, ſicuti dixi, loco ſuo motam, funibus ad pedes vinctis, per mediam traxere viam, omnique impietatis genere contumelioſiſſimè affecere. Ita illi reliquum imaginis corpus comminuerunt, & caput à membris ſuis divulſum diſtraxerunt. Quod ſanè nonnulli, qui flagitio tanto, ita ut par erat, indoluere, clam ſublatum, ſicut potuerunt, conſervarunt, itidemque & alias corporis partes collectas in Eccleſia repoſuerunt. Herbæ, quam ibi enatam diximus, ſpecies, nulli vel F medicorum, vel aliorum peritiam talium rerum conſectantium, cognita fuit. Mirum verò minimè videtur, nova hominibus exhiberi beneficia, novo ſubinde modo Deo ipſo eos inviſente. *Niceph. Calliſt. lib. 10. cap. 30. & prius lib. 6. c. ultim. Euſeb. lib. 7. c. 14. Greg. Turon. lib. 2. de glor. mart. c. 2. Baron tom. 1. ad an. 31. 76.*

Eſt alia Chriſti imago quam dicitur effeciſſe Nicodemus, quæ à Judæis per ludibrium crucifixa, innumeris claruit miraculis. Refert hoc *Athanaſius*, vel quiſquis eſt auctor *libelli de Paſſione imaginis Domini, cap. 4.* & citatur in VII. Synodo antiqua hęc hiſtoria. *Act. 4.*

Eſtque ea imago, cujus fit commemoratio Beryti in Syria die 9. Nov. ſingulis annis. Imò tanta erat olim commemorationis illius ſolemnitas, ut Natali Domini & Paſchati coæquaretur. Miraculum autem contigit temporibus Conſtantini Imper. & Irenes Aug. ac de eo ſermonem habuit Athanaſius non Alexandrinus, ſed Syriæ Epiſcopus, quamvis de loco non conſtet. *Vide Baron. in notis Martyr. 9. Nov.*

Idem meminit eodem loco, Græcos agere commemorationem 5. Idus Aug. alterius miraculi, ex ſacra imagine Salvato- G ris, quæ Conſtantinopoli ferro à Judæo percuſſa, dum ſanguinem emitteret, in puteum dejecta fuit. Hiſtoria mmss. eſt in Bibliotheca Vaticana.

De imagine Chriſti in forma Paſtoris ovem deferentis, & ſacris calicibus inſculpi ſolita, meminit *Tertullian. lib. de Pudicit. ante medium.*

Elius Lamprid. in vita Alexandri Severi, refert, Alexandrum Imperat. habuiſſe in ſuo larario imagines Chriſti, & Abrahæ.

Euſeb. lib. 7. hiſtor. cap. 14. affirmat, paſſim conſueviſſe pingi imagines Apoſtolorum, ſeque vidiſſe admodùm vetuſtas.

S. Ambroſius teſtatur, ſe habuiſſe vivam imaginem S. Pauli, & ex ea cognoviſſe, quòd idem ſibi apparuerit.

S. Chryſoſt. orat. in S. Meletium ſcribit, illius ſancti imagines adeò fuiſſe celebres, ut etiam in annulis, poculis, phialis, thalamis depingerentur.

Idem fatetur Theodoretus de imagine S. Simeonis Stylitæ, quod Romæ in omnibus officinis præ foribus pendere conſueverit. H

Supranominatus *Chryſoſtomus* in Liturgia quam Eraſmus fecit Latinam, meminit imaginis Chriſti, ad quam Sacerdos converſus caput inflectit, portans Euangelium, præcedente miniſtro cum lucerna.

Sophronius Epiſc. Hieroſolymitanus teſtatur ſe vidiſſe imaginem Salvatoris & Deiparæ, Joannis Baptiſtæ, & præterea imagines Martyrum & aliorum SS. qui genuflectentes, capitibus inclinatis ante Dominum procidebant.

Zacharias Papa fecit veſtem ſuper Altare B. Petri Apoſtoli auro textam, habentem Nativitatem Domini, & Salvatoris noſtri.

Nicolaus I. Apoſtolorum principi obtulit veſtem miræ pulchritudinis, Annuntiationis Dominicæ & Purificationis hiſtoriam referentem. Tradit *Io. Molanus hiſt. SS. Imagin. lib. 1. cap. 6.*

Quin & Majores noſtri depinxerunt imagines Patriarcharum, & Prophetarum tempore *S. Aug. l. 5. cont. Julian. c. 2.*

Adrianus Papa Act. 1. Synodi VII. aut potiùs B. Stephanus Boſtrorum Epiſcopus ab eo citatus, Nos, inquit, in memoriam San-

A Sanctorum imagines facimus, Abrahæ, Moyſis, Eliæ, Zachariæ, &c.

Teſtatur *Auguſtin. lib. 22. cont. Fauſt. c. 73.* tot locis pictam fuiſſe imaginem immolationis Iſaac, ut oculos diſſimulantis feriret.

S. Paulinus meminit imaginum SS. Job, & Tobiæ, & Judith. *Natali 10. ſub initium.*

Pleraque imaginum antiquitatem aſſerentia. ☞ *Pete ex Tit. ſequent.*

USUS IN TEMPLIS.

In lege antiqua, cum populus eſſet ad idololatriam admodùm propenſus, fuiſſe collocatas imagines Cherubin in tabernaculo, & templo Salomonis, conſtat, *Exod. 25. & 3. Reg. 6.*

De calicibus Salvatoris imagine ornatis, conſtat ſupra ex Tertulliano. Calices autem in templis ſummo honore haberi jam olim, res eſt notiſſima.

Et quia *Ioan. Calvinus* mentitur aſſerendo, quòd primis quingentis annis non fuerit uſus imaginum in Eccleſiis, *lib. 1. Inſtit. c. 11.* cujus contrarium eſt teſtimonium Tertulliani, ad- B feremus auctoritates aliorum qui id confirmant.

Damaſus Papa è libro Pontificali in vita Sylveſtri hæc refert: Hujus temporibus fecit Conſtantinus Auguſtus Baſilicas iſtas, quas & ornavit: Baſilicam Conſtantinianam, ubi poſuit dona iſta: Faſtigium argenteum, habens in fronte Salvatorem, ſedentem in ſella quinque pedum, penſantem libras centum viginti: & duodecim Apoſtolos, habentes ſinguli quinos pedes, penſantes libras nonaginta, cum coronis ex argento duriſſimo. Item à tergo reſpicientem in abſide Salvatorem ſedentem in throno in pedibus quinque ex argento puriſſimo, penſantem libras centum quadraginta: Et Angelos quatuor ex argento in quinis pedibus, qui penſant ſinguli libras centum quinque cum gemmis Alabandes. *Et infrà*: Annexum ex ſtipa Ammienti in labro fontis Agnum ex auro puriſſimo, fundentem aquam, penſantem libras triginta; ad dexteram Agni Salvatorem ex argento puriſſimo, in pedibus quinque, penſantem libras centum ſeptuaginta: in læva agni beatum Joannem Baptiſtam ex argento, in pedibus quinque, tenentem titulum ſcriptum, qui hoc habet: Ecce Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi; penſantem libras centum. *Ibidem.* Super corpus C B. Petri, ſuper os quod concludit illud, fecit crucem auream puriſſimam, penſantem libras centum quinquaginta: ſed & crucem auream ſuper locum B. Pauli Apoſtoli poſuit, penſantem libras centum quinquaginta. *Ex libello Pontificali Damaſi Papæ. P. Pet. Caniſ. in primum præcept. de imagin. cap. 9. Baron. tom. 3. Anno Dom. 324.*

Cyrillus Hieroſolymitanus ſcribit, Hieroſolymis fuiſſe templum Martyrium, hoc eſt teſtimonium, nempè Chriſti Reſurrectionis monumentum & teſtem. Dictum idem reperitur ab aliis Baſilica Conſtantiniana, quam inter complura ornamenta, fuiſſe etiam ſacris picturis decoratam, & inter alias Deiparæ imagine, Acta Mariæ Ægyptiacæ fidem faciunt, recitata *in Concilio Nicæno II. act. 4. & Ioannes Damaſcenus. Euſebius* autem tria ab eodem Conſtantino tradit ibidem templa erecta eſſe, cùm ait: In media urbe, quæ apud Hebræos primas obtinet, non modò Eccleſiam ampliſſimam, quæ ad memoriam Chriſti paſſionis ædificata fuit, verùm etiam templum ſanctum ſalutari ſigno Crucis dedicatum, magnificis ſumptuoſiſque inſignibus exornavit; quin etiam monumentum Salvatoris, quod ſempiternæ memoriæ commendatum eſt, illiuſque trophæa D contra mortem ſtatuta, ornamentis, quæ dicendo exprimi non poſſunt, cohoneſtavit. *Cyril. cath. 14. Ioan. Damaſc. de imag. lib. 3. Euſeb. orat. in laud. Conſtant. Apud Baron. tom. 3. ann. Dom. 326.*

Leo Papa Eccleſias fecit, quas in muſivo ex diverſis hiſtoriis, ſeu imaginibus pingens decoravit: magis autem in Baſilica ſancti Pauli Apoſtoli, arcum ibidem majorem faciens, & in muſivo depingens Salvatorem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, & ſecum viginti quatuor ſeniores nomine ſuo verſibus decoravit, & à tunc uſque hactenùs fideliter à nobis venerantur. *Ex eod. ibid. an. Dom. 461.*

Cum ad aures Imperatoris Anaſtaſii perveniſſet, Olympium Arrianum graves dediſſe pœnas pro ſua in ſanctam Trinitatem blaſphemia, juſſit, miraculum in tabula coloribus expreſſum ad Nicephorum collocari. Joannes autem quidam ædis illius Stephano Protomartyri ſacræ Diaconus & curator, vir qui, ut ſi quis alius, decreti illius, quo Filius ejuſdem cum Patre eſſentiæ declaratur, ſe perpetuò ſtudioſiſſimum oſtendit, ipſe quoque rem pictura, ſed non ſimpliciter, promulgavit: nam eorum qui illic lavabantur, ſpectatoreſque fuerant, quique in balneo miniſtrabant, nomina inſcripſit; & E ubi eorum ſinguli habitarent, indicavit. Quæ quidem pictura ad hoc uſque tempus rem ipſam teſtatur, in fronte quartæ porticus, quod ſæpè vocatum eſt Oratorium, affixa. Cæterùm quando res admiranda rem admirandam conſecuta eſt, cùm ejuſdem argumentum ſit, nefas eſt eam contemnere. Itaque licèt præſens jubeat tempus, illam non gravabor commemorare. Cùm enim illi, qui Arii partibus ſtudebant, triumphum progredi perſpicerent; precibus impulerunt eum, cui Palatii Helenianorum cura fuerat demandata, ut tanquam balnei adminiſtrationis prę́fectus imaginem auferret & abſconderet. Hic facili inventa excuſatione, quòd ob aquarum humiditatem eſſet corrupta, ſuſtulit eam (ut ajunt) inter diſputandum, & abſcondit. Verùm cum Rex ſingula loca Regia obiret atque inviſeret, ad hunc quoque pervenit, & imaginem inquirendam, ac parieti rurſus affigendam curavit. At Eutychianum (miniſtro enim illi id erat nomen) divina quædam ſic invaſit indignatio, ut dexter oculus ei difflueret, peſſimèque reliqua item membra conflictarentur, quoad ſacrum Oratorium, ubi beatorum Pantaleonis & Marini pars reliquiarum conſervatur, accederet: quod quidem Oratorium Concordia voca- F tur, quoniam illuc Epiſcopi centum & quinquaginta, Imperatore Theodoſio Magno regnante, concordes in eam ſententiam convenerunt, ut divinæ Trinitati eandem eſſentiam conſtituerent, & Dominum ex Virgine humanam carnem aſſumpſiſſe declararent. Verùm cùm illic ſeptem circiter dies commoratus, nihil acciperet adjumenti, quin etiam gemini oculi exederentur; media quadam nocte miniſter, cujus erant partes, ut totam noctem inſomnis duceret, ſecundùm quietem vidit quendam Regem adſtantem, manuque illum qui ægrotabat oſtendentem, dicentemque: Quomodo hunc ſuſcepiſti? Iſte cum illis ſentit, qui in me maledicta conjiciunt. Iſte miraculi abſcondit imaginem. Clericus igitur ſomno ſolutus, quod in quiete viderat, enarravit: negans fieri poſſe, ut is ab ea calamitate liberaretur. At Eutychianus eadem nocte, cùm doloribus ſubactus obdormiſſet, adoleſcentem quendam Eunuchum adſtantem vidit, ſplendido indutum veſtimento, ſeque ſic alloquentem: Quid habes? Cum autem ille, Vi morbi conſumptus intereo, nec curationem ullam invenio, reſpondiſſet: audivit eum dicentem: Nemo poteſt tibi opitulari: Rex enim vehementer iratus eſt tibi. Ipſe verò: G Quem, inquit, movebo, aut quid faciam? At ille: Si vis, inquit curari, ad Heleanorum balneum contende, & prope combuſti Ariani imaginem quieſce. Protinùs is experrectus, unum è miniſtris vocavit. Admirati ſunt autem, quoniam tertium jam diem vocis uſu caruerat. Se igitur, ut fuerat imperatum, abduci juſſit. Verùm cùm ad locum perveniſſet, prope imaginem collocatus expiravit. Is enim, quem in ſomnis viderat, per animæ ſejunctionem à corpore, morbi curationem ſignificans, vera prænuntiavit. *Damaſcen. orat. 3. de imagin. apud Baron. tom. 6. Annal. Eccleſ. Anno Domini 494.*

Sozomenus lib. 5. cap. 20. & Nicephorus lib. 10. cap. 30. ſcribunt, tempore Juliani Apoſtatæ ſtatuam Chriſti, quæ apud Paneadam fuerat, in templum à Chriſtianis introductam. Quod certè factum eſt ante annum Domini CCCCC. cum ad eum annum Sozomenus non pervenerit. *Euſeb. lib. 3. & 4. de vita Conſtantini*, dicit, in templis à Conſtantino exſtructis in Palæſtina, fuiſſe maximam copiam imaginum aurearum, & argentearum.

Nazianz. epiſt. 49. ad Olympium, conqueritur, quòd H civitas Diœcæſarienſis evertenda eſſet, in qua ipſe templum mirificè exornarat; & addit: Neque enim ſi ſtatuæ dejiciantur, hoc nos excruciat, etiamſi alicui excruciat, verùm, &c.

Baſilius oratione in ſanctum Barlaam in fine, in ipſa concione oſtendit imaginem ſancti Barlaam alicubi in templo depictam, & ait, gaudere ſe, quòd meliùs pictores expreſſerint manum ejus pro Chriſto combuſtam, quàm ipſe oratione deſcripſerit, Abeo, inquit, fortium Martyris factorum pictura à vobis ſuperatus. Gaudeo tali veſtræ fortitudinis victoria hodie victus. Video manus ad ignem luctam exactiùs è vobis deſcriptam. Video luctatorem in veſtra imagine illuſtriùs depictum.

Gregorius Niſſenus oratione in Theodorum, initio: Oblectatur, inquit, dum ædem, ut templum Dei, & magnitudine ſtructuræ, & adjecti ornatus decore ſplendido elaboratum intuetur, ubi & faber in animalium figuram lignum formavit, & pictor induxit etiam flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris.

Evo-